# RACCOLTA
## DELLE OPERE
## DI
# F. PAOLO SARPI

Dell' Ordine de' Servi di Maria, Teologo Consultore della Repubblica di Venezia

*Migliorate, ed accresciute di varie osservazioni Storico-Critiche secondo la vera Disciplina della Chiesa, e Polizia Civile*

DA

GIOVANNI SELVAGGI.

VOL. XII.



NAPOLI. MDCCLXXXX.
NELLA REGIA STAMPERIA DEL REAL SEMINARIO DI EDUCAZIONE.

*Con licenza de' Superiori.*

# PAULI SARPII EPISTOLÆ

## AD DOM. GILLOTIUM.

### EPISTOLA I.

*AMPLISSIME DOMINE MIHI MAXIME COLENDE,*

Libellos meos non tanti æstimavi, vir excellentissime, ut lectione tua dignos putaverim. Auctoris tenuitas est mihi plane perspecta, a quo nihil elaboratum perfici posse satis bene novi. Neque ea temporis copia fuit, quæ operibus necessaria videretur: occasio præceps coegit ex tempore tractare, quæ adversarii sua improbitate elaborata e manibus expresserunt, dum eis tumultuarie respondendum esset. Ubi etiam, quid ferre possent multorum aures superstitioni plus æquo patentes, quam quid pro communi bono, & bonis viris gratum dicendum esset, proponendum fuit. Verum cum a Dom. Fresner audivissem mandasse te, ut in hac controversia scripta ad te mitterentur, rogavi ut a me mea reciperet. Anni sunt, vir excellentissime, fere viginti, cum turbarum Gallicarum occasione, cœpi ad-

mirari eos, qui Regiam dignitatem sartam te-
ctam, ut par est, tueri eniterentur. Te sæpe
Dom. Messæus Regius in hac Civitate Lega-
tus inter primos nominabat; & Dom. Dolotus
summi Præsidis frater tuæ doctrinæ, & probi-
tatis luculentissimus testis accessit. Ex eo tem-
pore animi mei in te propensionem adeo au-
ctam sensi, ut maximi existimaverim a tanto
viro cognosci, & antiquam meam erga te ob-
servantiam aliqua ratione significare. Missorum
librorum causam habes. Piorem collectionem
Concilii Tridentini, Dom. Freiner ostendente,
perlegi; hanc posteriorem, & pleniorem ar-
dentius percurri; videoque te eousque progres-
sum, ut pauca ex monumentis Gallicis addi
posse videantur. Opus imitatione sane dignum,
Si enim in aliis Regnis tantumdem elaboraretur,
præsertim in illis, quæ Concilii magnæ partes
fuerunt, haberemus unde Acta fere omnia col-
ligi possent. Ego diu optavi posse huic rei ali-
quam operam dare; verum ea fuit ante hos duos
annos temporum ratio, ut nisi solo desiderio
contenti fuissemus, etiam desiderandi vis nobis
intercepta fuisset. Postquam liberius agere po-
tuimus, nonnulla collegi partim originalia ipsa,
partim ex originalibus fideliter desumpta, alia
vero, quæ licet authentica fide careant, maxi-
ma tamen probabilitate, ut vera teneri possunt.
Plura collegissem, si ei rei prius operam dare
potuissem. Jesuitæ enim acerrimi indagatores,
quibus perspectum erat quantum sua interesset,
ne talia arcana vulgarentur, summa ope, &
mi-

miris artibus, etiam perpetuæ damnationis interminatione e manibus tenentium eripuerunt quidquid in hac Civitate potuerunt indagare: ideo nobis pauca relicta sunt, sed ea tamen, quæ non parum lucis afferunt aliis post Pii IV. convocationem ad finem usque. De prioribus pauca habeo, & isthic etiam pauciora video reperiri, & illa majoris æstimo, cum sub Paulo, & Julio ea tractata fuerint, quæ, præter suum ipsorum pondus, sunt sequentium fundamenta. Sessio IV. est totius Concilii basis: in ea interfuisse vigintinovem Episcopos, & tres Abbates certum est. O si amota videri possent! In Epistola Dom. ad Dom. Lisfæum sub die 28. Junii 1562. mentio fit orationis Legatorum Bavariæ prolixæ, & liberæ: ea apud me est integra, tunc temporis Ripæ impressa: si ejus exemplum non habes, & habere velis, quia ibi nominatur, promte mittam. Inter legendum animadverti virtutem & constantiam Ferrerii; inde desiderium incessit perquirendi, an in collectaneis meis ulla mentio tanti viri haberetur; reperi Epistolam quandam, ex qua apparet quid de eo dicerent, & cogitarent Romæ Sancte Deus! Si incorruptibilia corrumpere tentarunt, quid de reliquis putandum est? Quod ne sola conjectura dicere videar, aliam addere volui ejusdem farinæ Epistolam, ac ut ternarium numerum perficerem, adjunxi tertiam, quæ de prærogativa Regum Christianissimi, & Catholici aliquid tibi forte ignotum dicat. Harum Epistolarum ipsa originalia manibus Auctorum subsignata apud me sunt.

Theſes iſtius Critonii Scoti ſatis mirari non poſſum, qui Papam Regi, Concilia Comitiis, Cælum Terræ miſcuit, & Regis prætextu vult nobis Papam obtrudere. Tandem Chriſti Regnum in terrenum invertere, quo jure, quaque injuria his bonis viris conſtitutum eſt. Et de excommunicatione quæ nova, & hactenus inaudita auſus eſt, ejus vim ut extenderet ad mentis cogitationes? Non ſatis habent nobis ademiſſe agendi, & loquendi libertatem, niſi etiam noſtris cogitationibus, & animis impotenter dominentur. Quid illud eſt inauditum magis, ut pro unius noxa tota familia, vel civitas excommunicetur? Non poſſum credere hominem ſuppoſuiſſe nobis pro excommunicatione interdictum, præſertim cum Jus Pontificium profiteatur. Mittò quod contra omnium Eccleſiarum uſum loquatur, & quod Auguſtinus integra Epiſtola cum errorem confutet, & Scholaſtici omnes idem cenſeant. Non animadvertit ipſe quantopere gladium illum ſua theſi obtundat. Jam enim quilibet promte colliget, ſi pro unius noxa alius excommunicatur, excommunicationem pœnam politicam eſſe, & conſcientiam non pertingere.

Ego maxima lætitia afficior, cernens Pariſienſem Curiam tueri etiam nunc, ut ſemper tutata eſt, antiquam & yere Francam libertatem, quod magnum eſt nunc, cum iſta Univerſitas, olim Eccleſiaſticæ libertatis propugnatrix, & ipſa manus dederit. Nos hic levia, & pauca pro tuenda principali libertate, & pote-

testate egimus; excusandi etiam quod non plura, & majora ab iis, qui loci, & temporis rationem habuerint. Neque pœnitet, licet capita nostra sint devota, & semper insidiis impetamur, & inexpiandæ impietatis insimulemur, non veriti immensam, & prahorribilem potestatem. Solatio nobis est pro veritate stetisse, & habere approbatores isthic summos viros, omni doctrinarum genere excultos, & te in primis, vir excellentissime, quem obnixe deprecor, ut in concepta erga me benevolentia semper perseveres. Deum orabo, ut te diu incolumem servet, & mihi vires donet, quibus gratum aliquod obsequium tibi præstare possim. Vale.

Venetiis die 18. Martii 1608.

## EPISTOLA II.

### AD EUMDEM.

QUa animi jucunditate literas tuas acceperim, vir excellentissime, si exprimere coner, neque id plene possem, neque hæc pagina verba caperet. Ego ut te inter amicos & dominos, quos colo, maxime suspicio, ita quod me non indignum putaveris, quem clientum tuorum numero adscriberes, ingentis beneficii loco pono; quod vero etiam eo honore, & gratia me ornaveris, ut studiorum tuorum rationem habere

vblueris, gratissimum fuit.

Si quis unquam molitus est, quod in Dei gloriam, & Ecclesiæ utilitatem cesserit, tu id, vir doctissime, tractas, atque laboras. Proximis sæculis Europa sub jugo fuit: sola Gallia ad libertatem aspiravit; inde tantummodo, si non recuperandæ plenæ possessionis, saltem vindiciarum nobis interdicta petenda. Non est quod Jesuitas vereare: illorum criminationes, & maledicta bonis viris, & æqui amantibus cunctis subeunda sunt, & id demum est probitatis plenum testimonium illis esse invisum; præsertim autem cum apud eos esse non potes. Jam ob Acta Concilii Tridentini evulgata, ut qui mysteria Cereris detexeris, tui imaginem apud imos inferos pingendam decreverunt, simul etiam nostri, qui Pontificiam omnipotentiam non adorare ausi fuerimus. Gaudeo lectum a te catalogum illustrium Scriptorum ejus Societatis; ego maxime cum voluptate percurri. Quis enim risum teneat legens, quod Pater Thomas Sancius miraculum a Beata Virgine minis extorserit, & ad Christi vexillum convolaverit? Si Superis placet, habebimus Jesuitas, qui negent Episcopos esse sub Christi vexillo. Quid malum repugnantiarum illud est? Utinam Musa illa, quæ initio libri profectionem in Indias illis omnibus canit, sic suadeat, ut persuadeat. At nolunt, verum nobis minantur, cum nomina Collegiorum, & Domorum, quæ sub Reipublicæ ditione tenebant, asterisco notaverunt, nondum esse recuperata scribentes, sed licet aliquos fa-

sci-

ſcinaverint, Dei gratia, forte inſidias evademus.

Ad te redeo, vir excellentiſſime. Quod ſuperſtitionem æque, ac impietatem averteris laudo. Ego ſuperſtitionem magis odi. Impius ſibi nocet, impietatem propagare non curat, neque ſi maxime velit, id poteſt: monſtrum eſt in humano ingenio; pauci tam pravi ſunt, ut impietatem induere valeant. At ſuperſtitio contagioſa eſt, & ea infectus omnem operam inſumit, ut ſimiles ſibi cunctos efficiat. Dum Principum poteſtatem tueris in modo illorum regna defendis, ſed Chriſto etiam ſuum aſſeris; privetur namque cœleſti ſuo, quod hic in terris inſtituit, neceſſe eſt, ſi in politicum, & mundanum transformetur. In hoc dum incumbis, nedum rerum publicarum libertatem moliris, ſed Chriſti gloriam illuſtras. Ordinariorum jura tuenti forte in iſto regno aliqui gratiam habebunt. Noſtri nihil aliud conqueruntur, niſi quod non ſatis ſervi ſint, nec infeſtiores hoſtes quam ipſoſmet habiturus eſt, qui illorum jura defenderit: neque mirum, nam penſionum nomine ab aliis eorum Sacerdotia poſſidentur, quamobrem veluti alieni Curatores alio tendunt. Regum, & Epiſcoporum Epiſtolæ, Pragmaticæ Sanctiones, Senatus Conſulta in unum a te collecta, mirum quantum luminis præſtabunt. Tractatus Virorum Illuſtrium, qui de juribus, & libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ ſcripſerunt, illud augebunt. Equidem ſic eorum teneor deſiderio, ut quælibet dilationis hora inſtar ætatis mihi futura ſit; ſed dilationem operis magni-

gnitudine, ac rerum pondere compensabis. Unum adhuc, si mihi optare licet, vellem, his addi, formulas, &, ut dicitur praxim redundantem potius, quam integram, cujus usus vobis, aut olim fuit, aut nunc est in Galliis, dum appellationibus, ac aliis remediis tyrannidem, & irrepentes abusus propulsatis.

Cardinalem Perronium in Senonas secessisse ad opus, quod jam decennium parturit, gaudeo; verum spero Italiam non tam diu ejus aspectu privatum iri, quam ante ejus operis partum, Roma illum visura sit. O si per ætatem, & per reliqua impedimenta isthic proficisci liceret, quam avide ista libertate, isto animi candore fruerer! Sed neque per simulacrum venire potero, & imaginibus doctorum virorum obessem, quæ ob mei societatem fulmine Romanensi impeterentur. Si datur optio: nihil est, quod magis cupiam, quam tibi servum non inutilem fieri. Interea meam, quæso, dilige observantiam, & voluntatem.

Venetiis 3. Decembris 1608.

## EPISTOLA III.

### AD EUMDEM.

Si quam libertatem in Italia, aut retinemus, aut usurpamus, totam Franciæ debemus. Vos

&

& dominationi resistere docuistis, & illius arcana patefecistis. Majores nostri pro filiis habebantur olim, cum Germania, & nobilissima alia Regna servirent, ipsique servitutis instrumenta fuere. Postquam excusso jugo illa ad libertatem aspirant, tota vis dominationis in nos conversa est. Nos quid hiscere ausi fuissemus contra ea, quæ Majores nostri probaverant, nisi vos subvenissetis? Sed utinam omnibus subsidiis uti possemus. Nihil frequentius cogito quam viam, & rationem introducendi vestram appellationem tamquam ab abusu. Rem esse video apud vos non valde antiquam. Usitata fuit apud vos prioribus sæculis appellatio ad futurum Concilium, remedium plenum aleæ; sed istud, quo nunc utimini planum, & expeditum, eoque tandem perducit, ut summa potestas in disciplina Ecclesiastica constituenda penes Principem resideat. Quid ni ita sit? Cum ad eum spectet abusus Ecclesiasticorum reprimere, & modum bene utendi potestate Ecclesiastica præscribere; sine qua doctrina nulla Respublica constare potest; ubi quidquam fit, quod summæ potestati Principis non subjiciatur, jam statim ille Princeps esse desierit. Ego hic plus non dicere audeo, nisi quod Ecclesiastica potestate abutenti facto resisti potest. At si remedium juris proponere scirem, tunc me ipsum aliquanti existimarem. Scis, vir amplissime, ut materia non semper subjaceat arti: quæ apta sunt alicujus Regni moribus, aliis plerumque aptari non possunt. Vidisti, ut in no-

nostris postremis controversiis, Pontificio Interdicto, facto tantummodo restiterimus. Nostri Majores contra Sixi IV. Interdictum remedio appellationis ad futurum Concilium prospere usi fuere, & contra Julii II. Monitorium improspere. Nos remedium illud ut inutile prorsus rejecimus magnis, & clarissimis rationibus. De aliis remediis a vobis usitatis deliberavimus, illis utendi rationes, & vias non invenimus. Si quid e Gallia afferatur, avide lego, sperans aliquid me tandem expiscaturum, quo obversantes difficultates tollere possim. Auxilio tuo indigeo: nemo nobis subvenire potest magis, quam tu, qui huic studio, & quod pluris æstimo exercitationi diutissime incubuisti. Maxima aviditate expecto collectionem à te editam, relegam, perlegam certus sis, & si quid luminis, quo uti possimus, apparuerit, ero tibi fortasse molestus, ut consiliis adjuves. Tandem mors non erit injucunda, si antea monstrare potuerim, quomodo remedio aliquo juris bruta illa fulmina obtundi possint. Nam quæ de facto tantum aguntur, sæpe turbas secum trahunt, quod in Republica præsertim libera perniciosum est. Ne speres Pontificios passuros se in ordinem redigi. Inter arcana illius dominationis habent, idem esse toto imperio cedere, ac uno tantum atomo infinitam illam, & illimitatam potestatem minuere. Mihi crede, qui earum rerum sum conscius: ita bellabunt, ut defendant Papam esse supra omne jus, & errare non posse; ac neminem

ei

ei posse objicere : *Cur ita facis* , & pro aris, & focis ; sed merito quidem , nam si eum aggerem guttula aquæ penetraret , jam integer fluvius ingrederetur .

Hæc Respublica , ista non spernendo , eam auctoritatem concussit : nam quod Interdictum Pontificium tam solemniter imperatum , & promulgatum desierit absque aliis Pontificiis literis , quæ illud relaxaverint , hactenus inauditum : & cum tantas turbas Pontifex excitaverit , ne judicio sæculari duo Clerici subjicerentur , ab eo tempore usque in præsens plusquam centum subjecti fuere , & quod majus est , tota una Congregatio , Jesuitarum nempe , exilium perpessa . Ab eo tempore sunt Reipublicæ perpetuæ contentiones cum Pontifice : ille non utitur fulminibus , quia vis eorum obtusa , verum obversantur modo causæ & plures , & potiores . Quod de Monasterio Vangaditiano controvertitur: quem finem habiturum sit divinare non possum ; verum intra mensem aut componetur , aut perpetua erit controversia . Ejus statum non arbitror isthic satis perspectum esse , quem hac epistola scribere longum foret . Nihil dum publico Decreto a Republica est actum : Romæ plura egere , ac rem semper magis implicarunt , nesciunt , quomodo se explicent . Senatus tacet : sed cum primum quidquam decernere conatus fuerit , nihil immutabit . Quid eventurum sit , tunc perspicuum erit . Sed quod Judicibus Rotæ Respublica quicquam suum subjiciat , ne putes unquam eventurum . Monarchorum jura ibi

tra-

tractata ab ipsis sunt, verum hoc ad Principem nihil: alia sunt publica jura, hæcque alia via, si opus fuerit, defendentur.

Sed ineptus ego, qui calamum currere permisi, nec animum adverti, cui viro tempus subripiam, ac in legendis nugis impendere cogam. Rogo te, importunitatem excusa, & erratum remitte. Ego de benevolentia tua sum ita certus, ut eam nec augeri optem, adeo summam arbitror: Ex tuis literis mihi videre videor animi quemdam candorem, & ingenii innocuitatem, ut eis frui summopere gestiam, & in commune animi recessus quosdam conferre, quos literis committere usus vetat. Ego ejus ingenii sum, ut, velut Chamaleon, a conversantibus mores sumam: verum, quos ab occultis, & tristibus haurio, invitus ingurgito: hilares & apertos sponte, ac libens recipio: personam coactus fero, licet in Italia nemo sine illa esse possit. Ego me introspicere arbitror animum tuum, & imago quædam faciei tuæ ante oculos obversatur, quam veram esse jurarem. Scire a te velim, an lectione Xenophontis, & Platonis olim delectatus fueris: rogo curiositati meæ indulgeas. Vale, ac te reverentem eadem benevolentia prosequere.

Venetiis 12. Maii 1609.

EPI-

## EPISTOLA IV.

### AD EUMDEM.

PEtierat a me olim Dominus meus Castrinus tuo nomine exemplar literarum Clementis II. ad Carolum V., hujusque ad eumdem Pontificem. Ego statim omnem operam impendi, ut desiderii compos fieres; non potui hucusque optata perficere; licet in hac Urbe quatuor exemplaria invenerim apud avaros harum rerum dominos, qui illis privari nullis precibus voluerunt. Tandem hoc exemplar expiscatus sum bona fortuna, quod ad te mitto; obsecrans, ut hilari fronte recipias, & tarditatem excuses, ac me solita benevolentia prosequare.

Venetiis 7. Julii *1609.*

## EPISTOLA V.

### AD EUMDEM.

LIbellum Barclay, quem ad me misisti, his duobus diebus, quatuor, aut quinque locis aperui, legique, ut tibi de eo aliquid dicerem, lecturus opportunitate oblata, & perlecturus. Au-

Auctor mihi visus est juris peritia, & historiarum. cognitione non vulgaris. Sed imprimis judicium viri miratus sum, qui dum facta examinat, ut inde jus eliciat; ita exactus est, ita rem acu tangit, ut non Jurisconsultus modo, sed exactus disputator videatur. Hujusmodi multi apud vos sunt. Nostri meri consarcinatores, numero, non pondere opiniones dijudicant. An Auctori hujus sententia mihi probetur, non dicam, nostra abortiva docent. Quidni & sententiam tuam eamdem esse existimem, cum sis ex eorum numero, quibus fœdum crimen adulationis abest; Mihi videor mentem tuam introspicere, ibique omnes sinceras opiniones rimari. Apostolicæ Sedis primatum, imo & principatum nemo gnarus antiquitatis, & historiæ negavit. Hic, quem modo affectant, non est Primatus, sed Totatus, si liceat vocabulum effingere ex eo quod abrogato omni ordine totum omnino uni tribuit. Qui abusus ex Ecclesia exterminari per partes posse censuerunt, hi mea sententia inscios Medicos imitati sunt, qui constante morbi causa effectui mederi posse putant. Abusuum omnium origo, & fons est illa non plenitudo, sed redundantia, aut exorbitantia potestatis, qua sublata jam pacem in Ecclesia conciliatam esse puta. Abusuum cessaret quotidiana accessio, & qui inoleverunt, causa sublata, brevi evanescerent, Barclajus directam, & indirectam potestatem Papæ temporalem (nova commenta) oppugnavit. Ego olim de subvertendo fundamento cogitavi, quo Prin-

cipi-

cipibus sua legitima in Ecclesia potestas statueretur. Certum est, cui jurisdictio demandata sit, simul etiam datam potestatem ceterorum, sine qua illa explicari non potest, ut quibuscumque impedientibus obviare valeat. Huic propositioni satis firmæ aliam assumunt, nempe quod Principes jurisdictionem a Deo Ecclesiæ datam impedire possunt, ut sæpe etiam impediunt; quamobrem colligunt in Ecclesia esse potestatem, qui Principes obsistentes coërceant. Huic rationi, cui tota machina ambitiosæ usurpationis innititur, ita occurro. Imprimis nimium concludere videtur; nemo magis Ecclesiam oppugnat, quam Diabolus; in eum primum potestatem aliquam coactivam exerceat oportet, qua oblata per eum impedimenta tollat, seque Michaëli præponat, qui aliud nihil dicere ausus fuit, nisi *Imperet tibi Deus*. Deinde nego, & pernego, Principem ullum, aut potestatem humanam ullam Ecclesiastico ministerio obstare posse; portæ Inferi non prævalebunt. Eventus ipse edocuit, Tyrannos olim neque legibus, neque tormentis, aut mortibus, neque ullis machinationibus fidei obstitisse, aut obstare potuisse, immo eam per ipsa magis crevisse. Qui necesse ea abmoveri, quæ subserviunt? Frustra habeat Ecclesiæ Minister potestatem coercendi quod sibi obstare non potest. Verum ex adverso, si Minister Ecclesiæ spirituali potestate abutatur, quantum turbarum in Republica excitabit? Quantum bono regimini politico obstiterit? Hanc assumtionem ego pri-

ori propositioni subsumo, ut in hoc colligam; igitur Deus, qui munus Principi tribuit Rempublicam regendi, omnem potestatem simul tradidit, ut Ecclesiasticos coercere valeat abutentes Christi potestate in Reipublicæ perniciem. Dicam uno verbo, & vulgari, abusus potestatis temporalis impedire spiritualem non potest, ne portæ Inferi prævaleant; quapropter illos tollere spiritualis non habet necesse, præsertim sibi utiles futuros; at abusus spiritualis potest impedire temporalem, unde potestas politica valeat abusus spirituales sibi nocuos coercere. Hoc jure si nostra ætas uteretur, ut Orientalis Ecclesia usa est quo usque Imperium obtinuit, & Occidentalis usque ad 1050. sine controversia ubicumque, & post illud tempus alicubi, & aliquando servavit, minus turbarum haberemus. Vos quidem inter omnes constantius Regia auctoritate abusibus Ecclesiasticorum obviam istis, & tandem pro extirpando malo Procuratori publicæ rei, & etiam privatis concessistis appellationem ab abusu. De iis, quæ decrevistis, scribas, summo conatu hortor. Ego ejus juris non satis gnarus antiquissimum arbitratus sum, quia anni tempore concessum video, ut si qui abusus in Ecclesia irreperent, Principi insinuarentur, præsertim si rei publicæ, aut privatæ nocerent. Quod cum præpostero zelo in desuetudinem abierit a vestris ante annos 100. vel 80. revocatum sit, & ad formulam redactum nomen appellationis tamquam ab abusu sortitum est: Omnis Christiano-

rum

rum Natio, omne Regnum aliqua ejus juris umbra utitur. Nos aliquem habemus, Hispani aliquam, quæ potius via facti, quam via juris videtur. Nemo rem ad perfectum deduxit præter vos. Si moris vestri origo, & ratio ab omnibus videretur, & sciretur forte imitationi via aliqua aperiretur, maxima Christiani Orbis utilitate. Quamobrem, vir amplissime, ei rei manum apponere ne differas, rem orbi utilem, & studiosis omnibus gratam facturus. Non est quod Jesuitas moreris, illorum officium est divini favoris præjudicium, tibi commune est cum omnibus bonis, neque putes leniendum si actis contentus, a reliquis abstinueris; illi nemini unquam parcunt, nullum nisi summe odere: non majus contra te concipient per ea, quæ edideris, quam quo te prosequuntur pro beneficiis, quæ Orbi præstitisti publicatis actis Concilii Tridentini, ac tractatibus pro Gallica libertate. Si meæ preces quicquam valent, illud opus non prorogabis, sed quanto citius expedies, a Deo mercedem, a bonis laudem, & quod minus optandum est, a malis odium laturus. Ad marginem folii perveni, non advertens quam molestiam nimia prolixitate viro præstantissimo exhibuerim. Ego, amplissime vir, ita te observo, ita te veneror & colo, & si fas est dicere, amo, ut in te spirare mihi videar. Rogo, ut humilia mea obsequia non spernas, quæ & intimo, & vero corde, ac sensu offero. Vale.

Venetiis 15. Septembris 1609.

# EPISTOLA VI.

## AD EUMDEM.

NOn sum nescius te in ista forensi Justitia gravissimis studiis detineri, nec tamen improbe facturum mihi videor, si te ad leviora revocavero. Librum Barclay a te missum, & laudatum perlegere cum cœpissem, occurrit scripta Præfatio ad Lectorem, quæ ita redolet auctoris prudentiam, artem, & solidam doctrinam, ut illius cognoscendi desiderium incesserit, quem juxta vetus proverbium, ex ungue virum doctissimum, & prudentissimum arbitror. Rogo te, ut curiositatem meam expleas, & ejus viri nomen ac studia patefacias. Barclayus sæpe meminit alterius sui libelli *De regno*: scire velim, an ille impressus sit, vel spes sit, ut imprimatur. Illum nondum visum ex Auctoris nomine existimo. Cuncta, quæ hic Auctor magno judicio collegit, & digessit, ex hoc opusculo mihi maxime probantur. Si invicem sermones miscuissemus, vel alter alterius scripta vidisset, non poterat ille ad meum sensum aptius ordine digerere, quæ ego sparsim in meis disputationibus cum Romanis nostris exposui. Unum tantummodo, idque potissimum observo, quod mihi non plene satisfacit, de quo quid mihi videatur, in sinum tuum ponere volo, & judicium tuum exspecta-

cta-

ſtare ; ſi moleſtus fuero , te ipſum incuſabis , qui tanta humanitate mecum per literas agere ſoleas , ut cenſeas nullas meas fore graves. In 17. capite Barclayus de poteſtate Eccleſiaſtica , & ſæculari ita cenſet , ambas ad eamdem Rempublicam Chriſtianam nempe pertinere ; neque alteram alteri ſubjici , verum ambas eſſe ſubjectas poteſtati divinæ , exemplo uſus Cancellarii , & Comitis Stabuli , quorum hic rei militari , ille forenſi præeſt , & neuter alteri in his , quæ ad officium ejus ſpectant , imperare poteſt , & concordes Rempublicam eamdem feliciter regunt , & mutuo ſe adjuvant , diſcordes alter alterum nequit corrigere , ſed Regiæ poteſtati ambo relinquuntur . Ut Cancellarius ſit Papa , Comes Stabuli Princeps ſæcularis , Rex vero Deus ; hoc eſt fundamentum Doctrinæ Auctoris , quod ſi nutet , jam de ædificii firmitate dubitare cogimur . Cum ambæ poteſtates Eccleſiaſtica , & ſæcularis ad eamdem Rempublicam Chriſtianam pertineant , neceſſe eſt , vel alteram alteri , vel ambas alicui poteſtati humanæ ſubeſſe , vel ipſam Chriſtianam Rempublicam monſtrum biceps fore . Cunctas nationes , & Urbes , populus , aut Primates , aut ſinguli regunt , ſine Majeſtate humana nulla Reſpublica vel conſiſtet , vel ſtare poterit . Non eſt quod mihi Barclayus ad Divinam Majeſtatem veluti in comœdia ad Deum ex machina recurrat , tum quia oportet Majeſtatem eſſe Reipublicæ partem non externum aliquod , tum quia omnes Mundi Reſpublicæ non eſſent , nem-

pe subjectæ Deo, cui non magis, aut minus subest Rex Francorum, quam Turcarum, aut Persarum. Vides Rempublicam Israeliticam cum post Salomonem sub duabus potestatibus fuit, divisam esse in Respublicas duas, neque unitatem retinuisse sub duobus Regibus. Mitto antiqua. Cur Francicum, & Hispanicum Regnum duo sunt, licet communem habeant Deum? quia utrumlibet Majestatem habet sibi propriam invicem non subjectas: neque si Rempublicam instituas, quæ a duabus Potestatibus regatur licet sub Deo, illam diuturniorem facies, quam Roma sub duobus conditoribus. Igitur Ecclesiastici, & Sæculares duæ Respublicæ erunt. Si potestas una alteri non subjiciatur, vel ambæ uni, quæ in eadem Republica reperiatur, Divina Majestas nullam præbebit unitatem. Hoc argumentum ego dissolvere minime possum. Rogo te cæcitatem meam illustres, si quidem fallaciam vides, non est quod sequentia legas, quibus explico meam dicam potius opinionem, quam suspicionem, quam sententiam. Arbitror ego Regnum, & Ecclesiam duas Respublicas esse, constantes tamen ex iisdem hominibus, alteram prorsus cælestem, alteram terrenam omnino, easque subesse propriis Majestatibus, defendi armis, & munitionibus propriis, nihil habere commune, neque unam alteri bellum ullo modo inferre posse. Cur enim arietari possent in eodem loco non ambulantes; Christus dixit seipsum, & discipulos non esse de Mundo, & quod est clarius

nec

nec segniter perpendendum, D. Paulus nostrum πολίτευμα in Cœlis esse protestatur. Nunc Ecclesiam accipio pro Fidelium convocatione, non vero pro Cleris solis, quod si pro his accipiatur, non est Regnum Christi, sed pars Reipublicæ Terrenæ, eaque subjecta Majestati, cui & Sæculares subjiciuntur. Ambiguitas subest huic vocabulo *Ecclesiastica Potestas*; si enim ea intelligatur, qua Regnum Cœlorum administratur, ea nulli potestati subest, nulli imperat, ad aliam non potest arietari, præterquam ad Satanicam, cum qua assidue illi bellum; si vero qua discliplina Clericorum regitur, ea non est potestas Regni Cœlorum; ea pars est Reipublicæ. Ita sensisse videntur utriusque Imperii Imperatores Reges Gothorum, & omnium maxime Justinianus, neque Caroli Magni Capitulare aliud annuit: Principes, qui Clericos a Magistratibus exemerunt, ansam illis tribuere, ut nacti defides Reges, quod gratia donatum fuit, veluti debitum arriperetur, & jure divino, vel saltem proprio Ecclesiastico asseretur. Ego primus in Italia, nullo præeunte, ausus sum dicere neminem Principum exemisse Clericos a sua potestate, sed a Magistratum subiectione; quare modo gavisus sum videns hanc sententiam Barclayo probari, sed quomodo cohæreat cum doctrina præfata cap. 17. non satis videre possum. Rogo te, Amplissime Domine, ut me dignum existimes, cui hac de re tuam sententiam aperias, & me, ut cœpisti, tua benevo-

lentia complectare. Libellum typis traditum; ubi decem Tractatus pro libertate Gallicana magno judicio collegisti, tandem recepi, pro quo tibi maximas gratias ago, & habeo. Vale.

Venetiis die 29. Septembris 1609.

## EPISTOLA VII.

### AD EUMDEM.

Binas a te litteras per eumdem tabellionem accepi, priores sexto Kalendas, posteriores pridie nonas Novembris datas, animi tui candorem ubique referentes. Ambabus unica hac epistola respondebo, illarum ordinem secutus. Quæ de me, Vir excellentissime, magnifica profers, ratus mihi soli concessum esse de Luminarium concursu, ut more Canonistarum loquar, seu potius Eclipsibus, ut ego loquendum arbitror, ad ingenuitatem, & veritatis amorem fulgere, id benevolentiæ tribuo, & quia longe positis magnitudinem nostro ratiocinio addere solemus, optime a sapiente viro imagines procul intuendas de me mihi ipsi magis credo. Quæ tu documenta paras, fac quamprimum ad impressionem perducas, nam venenis auctis antidota paranda sunt; si inde Jesuitæ compellentur ad laqueum, non magna jactura si nemo superfit: illos ne moreris, mihi crede: hucusque

tan-

tanta egisti, ut illorum in te odium augeri non possit; vires si adessent, ostenderent. Quæstiones P. Cotoni libens vidi, indicia nedum pravæ, sed & inanis mentis, cum doctiorem existimarem. Est hic illius Societatis amicus quidam, qui in Italicum vertere, & imprimere cogitat: si perfecerit, exemplum ad te mittam. De Ordine Servorum quod quæris explebo. Origo est ex Florentia: in ea Civitate Mercatores quidam se in Collegium coegerunt anno Domini 1230. quo tempore ea Regio hujusmodi partuum ferax erat. Dicebantur *Laudesi*, primum quod in laudibus B. M. Virginis cantillandis assidue occuparentur; mendicare cœperunt, ut tunc in ea regione mos novorum Collegiorum, habitu induti toto nigro, ut Beatæ Mariæ Virgini mortuum filium lugenti collugerent. His de causis a vulgo nunc *Servi Beatæ Mariæ* vocati; inde ad nos successores nomen, & color vestium. Quæ de initiis, & vita Barclay, ac de filii eruditione docuisti, gratissima fuere, & magis filium demiror, quod Jesuitarum amicus, & Cliens, illorum peste infectus non fuerit. Quod de nomine *potestatis* in Ecclesiam admittendo nec ne deliberas, vere res deliberatione digna est. Nominum nulla cura habenda esset, nisi abusu significationum etiam rebus perversi homines abuterentur, quemadmodum postquam nomen Ecclesiæ sibi appropiarunt, etiam bona, quæ in totius Ecclesiæ dominio, & in Ministrorum dispensatione tantumodo erant, reliquis exclusis proprio tan-

tùm

tum dominio subdiderunt. Ego licet abusum nominis *τὸ potestas* maxime oderim, nomine non omnino abstinendum censeo, cum S. Apostolus in secunda ad Corinth. ἐξουσίας voce bis usus sit, cujus nominis verbum in priore epistola in significatione imperandi, & dominandi usurpat, licet ego olim in meis abortivis ubique ministerium Ecclesiasticum libentius dixerim. Romani propterea mei imaginem apud inferos pingi jusserunt; & quoniam vim coactivam in Principes supremos illis prorsus non concessi, nec in alios, nisi Principum ipsorum privilegio. Cum manus defatigata esset in multis litteris exarandis, hæc ex ore dictantis excipi volui, & sermonis dulcedine raptus, ac si tecum præsente loquerer, nunc video modum excessisse, nec tamen facti pœnitet, te fortasse ad rependendas vices excitavero. Mea imperfecta in sinum tuum liberius commisi, quæ tamen omnibus communicari nolim. Sunt quidam opinionibus præventi, & Doxolatræ, quibus nisi ad aurem loquaris offenduntur, quos tamen offendere non est operæ pretium, decepti, an sponte suis opinionibus detineantur. D. Richerio, quem ex scripto, & ex familiaritate tua doctissimum virum censeo, meo nomine gratias agi, & salutem dici exopto. De Panvinii operibus oblivifcebar. Ea in unum corpus numquam impressa fuere, Librarii nostri referunt libros de *Republica*, & *de Fastis* Venetiis impressos anno 1550. De Cardinalibus 1540. eorumque exemplaria haud inveniri nisi usu attrita.

ta. De ludis Circensibus anno 1604. Primatu Petri Veronæ. Fastos posthac Romæ iterum, & Heidelbergæ: de Republica iterum Parisiis, & Francofurti. Si quæ hic reperiuntur vel nova, vel detrita colligi velis, reliquum est, ut jubeas. Ego, Vir Excellentissime, te maxime exoratum velim, ut me tui amatorem, & admiratorem solita benevolentia prosequare; vale, atque has nugas æquo animo fer.

Venetiis 8. Decembris 1609.

## EPISTOLA. VIII.

### AD EUMDEM.

SOleo litteras isthinc recipere post 15. aut 16. diem, ac tuas postremas 31. Januarii datas prima hujus mensis recepi. Sed quo serius appulerunt, eo maiorem voluptatem inde percepi. Quod ad te scripserim de potestatibus, quibus hic Mundus, & Regnum Cælorum administratur, antea mea fuerat opinio tantum, modo cum tibi probari videam, ac etiam ratione firmari, mea erit sententia. Satis magnum Theatrum tu mihi es D. Richeri, scriptum attentius legam, quod in tanta temporis angustia tantummodo percurri, interim rogo, ut meis verbis gratias illi agas, & salutem dicas. De magnæ Britanniæ Rege à te dis-

diſſentire non poſſum; ex literatis ſtudiis illud adeptus eſt, ut a veteratoribus circumveniri non poſſit; quo morbo multi magno malo Principes laboravere; verum libidine humani ingenii vincitur ille, & libentius in arte aliena excellentiam, quam propriæ exercitium oſtentare videtur. Magnum Doctorem magno Regi præferri dicebat Seneca: nihil mihi frigidius videtur quam lex cum præmio jubeat, & non ſuadeat; quid dicturum putas, ſi vidiſſet legem cum Apologia, eaque prolixa, & ex Apocalypſi deſumta. Ciſtrenſis auctor Torturæ e re nata bene illum monuit, quæ calamo cœpit, ſceptro urgeret, dicturus ſi re integra ſcripſiſſet, ut ſolo ſceptro ageret, calamo illi permiſſo. Vide Cæſarem ardente, & nutante Germania, imminente domus ſuæ ruina, artem imperandi ſpernere, & ſe magnum Aſtrologum profiteri. Memineris Neronis, qui moriturus miſerebatur Populi Romani, quod tantum Cytharædum amitteret. Magna virtus eſt poſſe in Mundi Comœdia ſuam perſonam agere, & ab aliena abſtinere. D. Coiffeti libellum nondum potui totum legere, pauca folia, eaque priora devoravi. Sermonis elegantiam licet in lingua mihi peregrina miratus ſum, & eo nomine virum magni æſtimo. De modeſtia vero id dicam quod in fabulis obiter Gallo gallinaceo dictum: *Tu quidem bene canis, at ſcalpis male*. Bellarminus injuria videtur Regem afficere, hic vero quod majus eſt irridere. Quid enim aliud eſt, ſi non irriſio, Regi dicere, Eccleſiam numquam ſub-

ſubditos in Reges armaſſe, nunquam illis inſidias paraſſe, quaſi ille hiſtoriarum peritus, & gnarus rerum, quæ ſua memoria evenere, crediturus ſit tamen, quod tanta eloquentia effertur, quod media nocte Sol fulgeat. Bellarminus non eſt auſus ſententiam ſuam pronuntiare, ne Italos Principes offenderet, & ipſum Hiſpaniæ, quos bene novit ægre tuliſſe, quæ in noſtra controverſia contra Principum dignitatem fuere effutita, idcirco Papæ poteſtatem in Reges hæreticos jactat, non quod in alios neget, cave putes; nunquam enim legendus eſt Jeſuita niſi a memore eorum doctrinæ, nempe virtutis eſſe æquivocatione uti, & mentali reſervatione, & ſi adverteris, quæ mihi ſcripſit de Richeone, nunquam putabis Bellarminum tam moderatæ ſententiæ auctorem, ac in Apologia præ ſe fert. Hæc eo dixi, ut concluderem, quod ſi tu duo potiſſimum loca notaſti ubi ſumam poteſtatem in Regem aſſerit ille, ſi contigerit, ſententiam propriam ex involucris verborum elicere, in eo libro nobis portentoſiora explicabit. At poſtquam cum fratribus Jeſuitis ſum, de Mariana dicam, miratum olim me, quod tam prudentes viri hujuſmodi librum emiſerint, nihilo Machiavellico minus impium. Sed de ſeptem Tractatibus, quos Romana cenſura notavit, hoc ſcias velim, ejus cenſuræ aliam cauſam eſſe, alium colorem. Color eſt, quia in Tractatu de immortalitate auſus fuerit tueri Jeſuitarum ſententiam *de Divino auxilio efficaci*, tanquam id

non

non licuerit, lite coram Pontifice pendente; Causa vero, quia contra Baronium statuit Adventum Sancti Jacobi in Hispaniam, novum est arcanum Romanæ Curiæ, ut Baronius pro Evangelista habeatur. Scripsit Romana Inquisitio ad omnes suos per Italiam Ministros animadvertant ne quicquam vel minimum quavis in re contra Baronium scribatur; idque servant religiosissime, ut neque, si quid de rebus Ethnicis dixerit, contra scribere liceat. Diu te detinui dulcedine sermonis raptus, & ratus sermones quasi cum præsente miscere. Rogo importunitatem excuses, meque tibi ita devinctum censeas, ut a me ipso non magis, quam a te pendeam. Deum veneror, ut te diu servet incolumem, mihique vires largiatur, & occasiones subministret, quo tibi possim servus non inutilis fieri. Vale.

Venetiis 2. Martii 1610.

## EPISTOLA IX.

### AD EUMDEM.

NIhil mirum, quod Henrici Magni interitus te, & bonos Gallos in mœrorem, ac luctum conjecerit, cum idem casus nos vehementer afflixerit, quos tamen non tam e proximo tangit; communis fuit sane calamitas,

tas, quæ ſpem bonorum fregit, & malorum audaciam auxit. Nec enim Jeſuitæ apud vos tantum ea de cauſa inſolentiores redditi ſunt, verum & nos acrius urgere cœperunt, in illud unum ſibi incumbendum ſtatuerunt, ut Papæ jugum cervicibus noſtris imponerent. Rege vivente id per cuniculos agebant, eo dempto id palam aggreſſi ſunt. Statim enim Bellarminus, prætextu defendendi ſua ſcripta, a Barclay impugnatione, de Papæ poteſtate in temporalibus ſcribere aggreſſus eſt, & ante viginti dies vulgavit, & quæ contra Principum Majeſtatem ſparſim, & timide muſſitabat, jam confidenter in unum collecta evomuit. Habes in eo libello collectam colluviem, & per nationes diſtinctam, omnium, qui a 500. annis rebelles linguas Papæ locaverunt, quos tamen velites Bellarminus ad aciem ſuccenturiavit, armatos ſanctitatis, & excellentis doctrinæ titulis. Hos inſequitur ipſe, victos Principes, & peſſumdatos in triumphum ducens, quos nedum a Papa excommunicari, & regnis, ac imperiis dejici affirmat, culpis exigentibus, ſed & ob dominandi imperitiam, virium imbecillitatem, aut ineptitudinem, & quamcumque aliam ob cauſam, quæ Papæ videatur in bonum publicum ceſſura. Jam Auctor Anticotoni non laboret in æquivocatione propalanda, cum principibus obedientiam deberi pronuntiat, de quibus Principibus loquatur. Sine ambagibus Bellarminus inclamat mandaſſe Chriſtum, ut Cæſari redderentur, quæ Cæſaris ſunt, quamdiu

diu Cæsar fuerit; præcepisse Apostolos Regibus obedientiam quamdiu Reges sunt, statim vero ac a Papa sunt privati, Cæsares, aut Reges esse desinunt. Hæc omnia levia putarem si non contrarium sentientes appellaret temerarios, scandalosos, hæreticos, si non suam sententiam fidem esse totius Ecclesiæ inclamaret, si reliquos Parasitos Principum habendos, ut Ethnicos, & Publicanos. Credidit noster Barclayus posse hos Papicolas convinci, si morem antiquæ Ecclesiæ objecisset, quæ Principibus & Apostatis, & Hæreticis, & malis obediens fuit, nihil minus effecit. Fatetur Bellarminus obedivisse, obediendum prædicasse, quia viribus, & occasione destineretur, id non factura, aut dictura si illos imperio propellere potuisset. Sed & malam gratiam apud privatos Barclayus iniit cum Bellarmino objecit, pejoris conditionis fore Principes, quam privatos, si hi non possent bonis privari, illi vero Regnis, & Imperiis exui possent. Hac objectione novæ sententiæ, & hactenus inauditæ occasionem præbuit, nempe posse Papam de omnibus omnium privatorum bonis disponere, prout Ecclesiæ utilitas expostulare illa visa fuerit. Quid præterea dicam? Hanc potestatem cogendi fideles ad Confessarios etiam extendit. *Libellum* Serenissima Respublica vendi, haberi, vel in suum Dominium importari statim vetuit, ne eo veneno populi inficerentur. Sed quid? eam pestem clam in Confessionibus docebunt, & ut Catholicam fidem venditabunt, quo magis cavendum est, ne facultatem erudi-

endi

ndi iſtam juventutem concedant, neque pro-
miſſis, aut juramentis fidant, quod leges U-
niverſitatis obſervaturos promittant. Duæ illis
unt artes, altera, qua laqueos, & nexus cujuſ-
umque promiſſionis, & juramenti effugiant
æquivocatione, & mentali evaſione: altera oc-
ultior, qua ut erinacii in aliorum cubicula
quæcumque arctiſſima ingrediuntur, gnari a-
culeorum explicatione integram poſſeſſionem, do-
mino excluſo, ſibi ſolis adipiſci. Ita Franciam
quibuſcumque conditionibus ſunt ingreſſi, oc-
caſiones expectarunt, vel pararunt, quibus li-
berius agere nunc poſſint. Doleo non veſtra
tantum, ſed noſtra etiam cauſa Francorum plu-
rimos degeneraſſe, peregrina doctrina infectos
ab eis fuiſſe; timeo etiam ne malum altius
ſerpat, cum video nullum Advocatorum cau-
ſam Univerſitatis ſuſcipere voluiſſe niſi juſſu
Senatus, & cum Anticotonus contra morem
prohibitus fuit. Subit timor, ne vos etiam in
bellum civile conjiciant, quod utinam Deus a-
vertat, ut illum toto animi affectu oro; reli-
quos adhuc ſcio multos bonos, & fortes Fran-
cos, inter quos te non in ſecundis numero,
quos publicæ cauſæ non defuturos ſpero, &
opto non ignarus feſta veſtra, juxta proverbi-
um, nobis profeſta fore.

Nepotem tuum toto, & aperto animo expe-
cto illum viſurus, & excepturus ut dominum,
ut fratrem; utinam Deus mihi gratiam largia-
tur, ut ei obſequium, quod debeo, reddere
poſſim. Enitar, ut in illo videas quantum te

colam, quantum debere tibi ſciam, & profitear. Ceterum niſi tibi moleſtus eſſe vererer, ſæpius ad te literas darem: id veritus, ſatis mihi eſt a reliquis amicis, quibus frequenter ſcribo, de tua bona valetudine certior fieri, & per illos tibi ſalutem dicere. Verum nihil mihi carius, quam a te literas recipere, neque dulcius, quam dare. In te occulta quadam benevolentia feror, ut ſi colloqui ſemel daretur, nihil accidere gratius poſſet. Faxit Deus, ut iſta incolumitate diu fruaris, pro qua ejus Majeſtati continuo preces offeram. Vale, ac te unice colendum ſolita benevolentia proſequere.

Venetiis 2. Octobris 1616.

P. S. Vide an ego ad te nimium familiariter & incurioſe ſcribam, qui prætermiſerim, quod non in poſtremis ponendum fuerat, nempe avide me expectare Senatus Acta poſt Regium parricidium a te collecta, ſancte promittens mihi ſoli habiturum, & nemini vulgaturum, te ipſo fidejuſſore quo neminem habeo locupletiorem. Cottonis quæſtiones opportune ad me miſiſti: illud exemplar a te habueram olim, quod amico accommodatum recuperare nunquam potui: nunc cum maxime deſiderarem optatis ſatisfeciſti. Vale iterum.

EPIS-

# EPISTOLA X.

## AD EUMDEM.

EXpectatum diu Nepotem tuum tandem lætissimo animo excepi, utinam & aliquo obsequii genere complecti potuissem: brevitate temporis & nimia ejus modestia factum fuit, ut nulla servitii testificatione mihi ipsi satisfacere potuerim. Patruo in Nepote fruitus sane fui, doleo quod non etiam inservierim; de te curiose sciscitatus sum, & gavisus, quod sensibus integris in ista ætate utaris, quod faxit Deus, ut diutissime tibi adsit. Discessit Nepos lento itinere ad te reversurus, ut Lombardiæ Urbes lustraret, & videret: huc usque usus est cœli statu satis felici, nam perpetuæ serenitates fuere, nunc credo ad montes jam accessisse, & post harum literarum appulsum propediem ad te fore. Ille ad te fert, ut narravit, Bellarminei libri exemplar; nam alias ego curassem, ut ad te aliud perveniret. De eo libro actum ab isto Prætore Urbano, ut e dignitate Regis, & Regni. Quod malum audaciæ eorum hominum! qui ipsi sacrosancti esse volunt, neque vera de se dici patiuntur, & omnia etiam in Christos Domini sibi licere putant. Hac in re videre vellem antiquam Sorbonici Collegii virtutem, & constantiam, nam si semel prava illa doctrina ab aliqua Catholica Universitate damnaretur,

adderentur Principibus animi ad dignitatem substinendam, nam omnes verentur eas voces, hæc est Fides Catholica, qui contra sentit hæreticus est, sic Ecclesia, sic Concilia, sic Sancti Patres, sic omnes doctores censuere. Hoc est caput Gorgonis, hi sunt crines viperini. Ego summopere opto hanc controversiam tractari, & publice potius, quam per privatas personas, non modo quod Principum auctoritate asserenda, & defendenda licet id maxime e Republica, & e divino honore sit, sed etiam quia sic ab omnibus aliis controversiis cessaretur, Jesuitis & Romanensibus in hanc unam incumbentibus; mihi crede omnia huc dirigunt, neque si quis divinitatem e Cœlo detraheret, quicquam curaturi sunt, modo Pontifici sua Vicedivinitas, vel potius Supradivinitas maneat. In iis, quæ adversus nos Bellarminus scripsit, aperto ore pronuntiavit, nihil aliud esse Pontificis potestatem ad spiritualia redigere, quam illum ad nihilum reducere; tanti æstimant spiritualia, ut nihilo paria faciant. Hæc Respublica omnium prima sine ullo exemplo non formidavit eum librum e suo Dominio eliminare, prævit iis, quibus agendi jus, & vires sunt, a vobis id expectatur. Constanter actum Nemausi, ibi falsorum miraculorum libri igni traditi sunt; reliquum est, constantius agant, quibus magis incumbit, quique majorum exemplis urgentur. Id addiderim Universitati profuturum in ea controversia, quam cum Jesuitis habitura est, si præter id quod monuit, qui libel-

lum

lum supplicem ad Reginam scripsit de Jesuitarum doctrina in controversia de superioritate Papæ et Concilii, addat et hanc de superioritate Regis, & Papæ. Sed iste Nuncius cur tantopere congressus est isthic, cum neque Pontifex quidquam dixerit Veneto apud ipsum Legato, neque Nuncius hic os aperuerit de eo, quod ab hac Republica gestum fuit? an sibi videntur dominari in Francia, postquam Rex illorum doctrina (si non alia ope) periit? Sed satis si ut scribis Papicolarum impudentia tibi stomachum movit, & ad ea edenda Instrumenta libertatum, & jurium Gallicanæ Ecclesiæ impulit, ego eam impudentiam non tantopere oderim, quæ tanti boni occasio fuerit, & nobis, & Ecclesiæ universæ; nam e re ejus est ea publicari, & ab omnibus videri. Interim tamen velim id a te curæ valetudinis tuæ non præponi, cui ut aliquando incumbas, hortor, & obsecro. Quod cum calculi morbo pridem tentatus fueris, (de quo te brevi convaluisse gaudeo) non aliunde factum nisi quod literarum studiis numquam quiescere jubes. De collectis a te Senatus actibus promissum accipio, & nomen tuum in Kalendarium jam retuli. Parisini Episcopi attestationem pro Jesuitis videbam nec sine stomacho, id jam nobis suadere voluit, ut non super Apostolorum, & Prophetarum, sed supra Jesuitarum fundamentum ædificatam Ecclesiam credamus. Sed nihil huc usque egere; Expecta donec Ignatium in albo Sanctorum reposuerint, quod moliuntur modo, & videbis, quæ nobis

credenda obtrudent. Utinam Dominus illustratione adventus sui has nebulas discutiat, ne in profundam ignorantiæ obscuritatem totam Ecclesiam involvant. Ego te rogo, Vir præstantissime, ut si minus familiari, & inelegan-ti stylo ad te scribere audeo, brevitatem temporis excuses, cum post adventum tabellarii duo tantum dies nobis concedantur, quibus cogimur omnibus respondere. Deum oro, ut te bene valentem, & suis bonis cumulatum diutine servet.

Venetiis 7. Decembris 1610.

## EPISTOLA XI.

### AD EUMDEM.

ROmanorum diligentia factum, ut eodem tempore ad nos allata fuerint, quæ Regius Senatus fortiter decrevit, & quæ Domesticum Regium Consilium contra statuerit, non potuimus non indolere vicem fortissimæ gentis, quæ paucarum ignavia, & depravatione cogitur inspicere Regni fundamenta labefactata, & id sustinere. Quantum hostes Regis Magni interitu lucrati fuerint, dietim apparet. Utinam non ante annum integre conspiciatur. Calamitas sit nobis communis, quibus vestris successibus animi adduntur, vel minuuntur. Romanar-

narrarunt isthic gesta cum assentatione in nos, quod prudentius egimus, quia scriptis abstinuerimus, quod ut vulgo gratum, ita a cordatis non ignoratur quorsum hæ laudes, & an eæ sint in promiscuas artes, in prudentes minæ præsertim ob mores, & ingenium nostrum; qui licet satis constantes in obviando, ignaviores tamen in aggrediendo sumus. Gravem jacturam istam, & privatæ, & publicæ dignitatis fuisse non est negandum, & tamen mihi exploratum est bonos Francos potius audaciores, quam timidiores in posterum futuros. Ego duas epistolas a te recepi priorem kalendas Decembris cum exemplari Arresti, cum Euphormionis Apologia, & cum non satis laudato Iocsin. Apologia est eruditione maxima referta, & ostendit ingenium auctoris acre, & grave, sed Auctor Jocsin præterea est rerum politicarum valde gnarus. Utinam a vestris Magnatibus audiatur, qui si somnum protraxerint, si errores astu, & suasu hostium commissos non correxerint, me augere, expectent alia & quidem graviora sibi obtrudi. Epistola ad Paulinum Exdatarium, quam cum secunda Epistola tua Id. Decembris recepi, Jesuitarum rapinas transalpinas refert multas, quas ignorabam. Sed Italia non est exemta, & cis Alpes iisdem artibus utuntur. Verum ego nihil magis miror, quam potentiam, aut impotentiam, quam isthinc habent, tibi cum omnia imprimere liceat, & impressa habere, tamen contra eos miscere non licet; attamen

quo magis favoribus abundant, eo citius opprimendos ſpero bonorum conſenſu. Gaudeo, & laudo, quod a colligendis publicis monumentis non diſcedes: nunc cura magis eſt intendenda, quo hoſtes ex adverſo magis laborant. Mirum quod decem & amplius Jeſuitæ omnes vires adhibent, ſibi & Papæ Orbis Imperium moliuntur; Principes, ac illorum intimi Miniſtri quid agatur negligunt, & quod majus eſt, obſiſtentes deterrent. In iſto Senatu, & in privatis Senatoribus ſpei multum, modo Jocſin audiatis, primas opportunitates accipiatis, vel potius venientibus obvietis: ſed ineptus ego, qui currentes incitandos credam. Ad me venio poſt diſceſſum. Foſcareni Legati non video tutam viam per quam ad te liberiores literas dem: quare huic Epiſtolæ finem imponere neſcio tamquam fortaſſe tuis aliquamdiu cariturus. Ego aliam viam aperire conabor. Interim te rogo, & precor, ne e tui memoria excidam, ſed ut me tua benevolentia dignatus es: ita in perpetuum proſequere. Vale.

Venetiis 4. Januarii 1611.

## EPISTOLA XII.

### AD EUMDEM.

Legatus Regius in ſuo ad nos adventu animum meum lætitia implevit redditis mihi

hi tuis literis gratiarum plenis, quibus ſtatum tuum edoctus, ſollicitudinem remiſi, quæ animo inhærebat ob allatum nuncium de tua valetudine. Ubi de tua ſanitate ex tuis literis comperi, gratias Deo egi, gratulatus ſum Galliæ, ſed mihi in primis; & dum de reſponſione cogito, ſupervenit a te ſecundum beneficium, literæ nempe 15. Januarii. Nihil profecto ingratius accidere mihi potuit, quam literarum connubium inter nos abruptum, quod cum inſtaurare opportune, & importune cogitarem, nulla tamen unquam ratio occurrit, qua mihi viderer id tuto efficere poſſe: Ut enim communia, & quæ officii ſunt ſcribamus nihil vetat; verum ego niſi poſſim in amici ſinum animum effundere, maxima moleſtia afficior, neque poſſum communes illas literas, & inſultas exarare, quin in animum ſubeat odium *malignitatis* humanæ. Miror, ut ad vos perlatum fuerit, conqueſtum me de quibuſdam meis literis proditis nec enim ea de re quidpiam cum ullo mortalium locutus ſum, neque loquendi ulla ratio fuit; ne tamen id quod accidit in majus accipias, rem totam enarrabo. Vir ille, de quo nunc ſermo, primus ad me dedit literas officii, & humanitatis plenas. Scripſit deinde aſſidue, & ut ego arbitror magno cum amore erga me, & benevolentia; illum ego putavi virum bonum, & perfectæ integritatis: erat aſſidue in domo Legati Foſcareni, ad me mittebat literas tuas, & D. Leſchaſſerii, quos ego impenſe amo, colo, & veneror. Annus nunc agi-

agitur cum a nobili & optimo viro significatum mihi fuit, illum Nuncio Pontificio tradidisse quasdam meas literas. Ego, qui ad eum de re literaria nihil unquam scripseram, sed tantum quæ nova hæc Regio ferebat ( non tamen fidei meæ commissa, nam illam ulla de causa unquam violarim ) incertus fui, an bona mente, vel levitate animi, vel quam aliam ob causam id ille egerit; substiti, neque post ad illum aliquid literarum dedi, licet ille pluries ad me eadem humanitate scripserit; adhuc ambigo quid mihi credendum sit, nisi quod certus sum literas traditas fuisse. Verum quidquid sit nihil mali inde timeo, quia nihil ad eum scripsi, quod palam non liceat, nisi hoc tantum quod literas dederim ad virum Religionis non Romanæ, quod Romæ summum peccatum habetur; sed nos manumissi sumus. Illum virum Deo teste amo, neque eam ob causam benevolentiam imminui, & mihi jucundissimum esset, si possem ad ejus minuendas miserias auxilio esse; illud tantum animo constitutum est ad illum nullas literas dare, donec integra res comperta fuerit; sed ego risi visis literis isthinc ad amicum scriptis, ubi dicitur meas literas Romam missas, & inde huc, & ea de causa Principi invisum, quorum duo postrema falsa sunt, primum an verum sit nescio. Sed de his satis, diu in his nugis te detinui, sed ea de causa ne vel tu ob famam priora crederes de eo viro; & mihi gratissimum erit, si aliquis sinistram opinionem ultra verum de eo conceperit

perit, ut pro veritate occurras. Quæ acta isthinc sunt in Jesuitas, Gallicam libertatem & ingenuitatem redolent; verum silere non possum, dum inter vos degunt, vobis timeo; quo magis irritantur venenosiores fiunt; ea de causa nobis infesti sunt, & non perturbant magis absentes, quam cum adessent. Instabunt contra vos acrius, neque numerus est contemnendus, suppletur enim diligentia ab illis, & assiduitate, & Romæ summum piaculum est illis non cedere, non modo illos offendere. Testis est Abatis Du Bois anima, nam a corpore abesse non dubitant, licet familiaris Legati Regii apud Pontificem residentis; Ego testis oculatus esse non possum, sed ex publica & amicorum fide hoc asseverare queo, 24. Novembris suspensum fuisse quemdam virum, quem tunc omnes dicebant, & credebant esse Abatem Du Bois, & si ille ipse non fuit neque ullus Romanus, neque ipsi Lictores, & Ministri justitiæ sciunt quis fuerit, hoc inquam, ne iis, quæ certo scio, aliquid addam. Sed redeo ad Jesuitas. Beasti me dum ais cogendum in unum volumen, & excudendum quidquid in Senatu actum est, ne mihi dicas nihil melius, aut jucundius, aut lectione dignius unquam evulgatum, id enim compertum, & exploratum mihi, tantum ut ego ea jucunditate legendi non caream, rogo. Expecto item Acta Senatus a te exscripta, quæ promiseras, & promittis. De duobus Conciliis Pisanis quod ais, credo de eo loqui, quod, jam centesimus annus est, celebratum.

fuit,

fuit, & de priori, in quo creatus est Alexander V., hujus Acta numquam vidi; alterius fragmenta quædam semel contigit inspexisse; arbitror non magnam fidem habiturum, quoniam Maximilianus Cæsar illud abjuravit, & Regnum Franciæ in ejus obedientia non perstitit, & tandem iidem Cardinales auctores abjuravere: & licet Ecclesia regi non debeat exemplis, sed Canonibus, & rationibus, neque prudentis sit res ab eventu æstimare, attamen nescio quo magno malo modo exempla & eventus præferuntur bonis Conciliis, atque rationibus. Ego ut maximo affectu opto ea omnia ad me mitti, ita de via ambigo. Per Bibliopolas vestros non tuto hic pervenient, illi namque Francofurtum deferunt, quæ ut ad nos veniant per Tridentum transire oportet; ibi vero habent Romani Ministros, qui diligentissime inquirunt libros Venetias afferendos, & securius Inquisitionem exercent, quam in ipsa civitate Romana. Ubi liber mittendus magnus non fuerit, satius est per Taurinum si non integrum saltem per partes mittere, aut si Francofurtum advehitur non Bibliopolis, sed Mercatoribus tradere. Si me his literariis munusculis honorare constitueris, ego præscribam ad te nomen Mercatoris Francofurtensis, cui fasciculus ad me deferendus tradendus erit.

Ego, Vir amplissime, levi quadam manu debilitate correptus, ut illam minus defatigarem, & tibi parcerem, ne majori molestia ob characterum confusionem afficereris, hac mane usus

sum

ſum. Reſtat ut prolixæ & nugaci epiſtolæ ignoſcas, & me tui cultorem, ut ſoles, diligas. Vale.

Venetiis 14. Februarii 1612.

Si quidquam ad me mittere libuerit per Bibliopolas Pariſienſes ituros Francofurtum in proxima Quadrageſima, id ad me perferetur, ſi in ea civitate traditum fuerit Hieremiæ Boudevino dirigendum Baltaſſarri Charles in hanc civitatem, cujus manu notula hic inſerta erit.

## EPISTOLA XIII.

### AD EUMDEM.

Redditæ mihi fuerunt tuæ literæ 16. kalend. Julii datæ: non reſcripſi ſtatim temporis anguſtia preſſus, poſtea morbo gravi, & moleſto correptus, coactus huc uſque fui differre. Nunc ſemirecuperata valetudine inprimis maximas gratias habeo, quod recordatione tua me dignum putes, & negotia, ac ſtudia intermiſeris, ut me literarum tuarum commercio honorares. Obſtupui interdictam fuiſſe editionem Piſanorum Conciliorum inſtante Nuncio, ut rem Regno iſti inſuetam. Libertati veſtræ per artes Jeſuitarum huc uſque inſidiati ſunt, illam aperta vi, ut video, modo aggrediun-

diuntur, in quo vicem veſtram doleo, & nobis timeo; nam ſi ſemel potuerint novam doctrinam in iſtum Regnum intrudere, nulla ſpes reliqua, ut nos numero pauci, & viribus impares ſoli poſſimus obſiſtere. Non ſunt quinquaginta anni, cum in Francia nullus reperiretur, qui ei doctrinæ aurem accommodaret; modò tot ſunt, qui illam imbiberunt, ut ſi eodem paſſu progrediatur brevi occupatura ſit omnes, præſertim cum vulgo utilis videatur. Habent in ea omnia vitiorum genera patrocinium. Avari rationem habent, qua ſine ullo conſcientiæ morſu ſpiritualia omnia nundinentur: ſuperſtitioſis imagunculæ exoſculatio omnium Chriſtianarum virtutum exercitationem ſupplet: gloriæ cupidis, quibus per fortunæ dejectionem nonniſi per ſcelera innoteſcere licet, ſumma facinora ſanctitatis velo obducuntur; deſides habent, unde ſalutis ſuæ incuriam excuſent: qui nullo Divinitatis timore tanguntur, habent viſibilem Deum, ejus cultu ceteris præſtare glorientur. Tandem nullum eſt perjurium, nullum ſagrilegium, nullum parricidium, nullus inceſtus, nulla rapina, fraus, aut dolus, quæ diſpenſationis velo pietatem non induant. Quid mirum ſi a pluribus recipitur, quod plurium cupiditatibus accommodatur? non tamen propterea bonis viris animus deſpondendus; ea calamitas omnium ſæculorum fuit, ut pro divino honore, & pro veritate pauciores decertarent. Decertarunt tamen ſemper, & acerrime; at eorum laboribus Deus adfuit, ita & nunc ſperandum. Laudo

quod

quod tu, ut invidiam & insectationes effugias, a scribendo abstines, & antiquorum scriptorum publicatione veritati viam aperis, neque ego unquam nisi cogente necessitate ad scribendum animum appulissem Jesuitarum audaciam quotidie augeri animadverto, sed nunquam eousque pregressuram putassem, ut Senatum Parisiensem sibi suspectum aperte dicerent, quem tot annis nullus unquam usus fuit in suspicionem vocare, & cujus judicia universus orbis miratus est. Orationem, quam ut in Senatu a Montolono habitam publicaverunt, perlegi; in ea Cotonis stylus mihi manifestus videtur, neque credibile est tamdiu, & tot verbis Montolonum orasse. Orationem dignam quæ legatur existimo, quia Societatis temeritatem prodet. Maxime gaudeo, quod inimici Richerium sindicatu submovere non potuerint, nam ejus viri oppressio veræ doctrinæ plurimum obesset: eam vellem, ut ille, edito justo opere, probaret, & defenderet, quod bonis viris maxime est in votis. Literarum commercium inter nos plenum restituetur intra annum, ut spero; sed interim etiam per Dominum Leschasserium ad te scribere non prætermittam, licet non eadem libertate, qua tunc usurum spero. Francofurto adhuc nihil accepi, sed non mirum; jussi enim, ut inter mercium magna involucra quidquid fuit reponeretur, quo ab exploratoribus Tridentinis tutum foret. Deum precor, amplissime Domine, ut te diu servet incolumem. Vale.

Venetiis 14. Augusti 1612.

EPIS-

# EPISTOLA XIV.

## AD EUMDEM.

GRatissima tua munera recepi cum maxima agendarum gratiarum obligatione, tua nempe volumina, quæ latere piaculum fuisset. Jesuitarum Bullas manuscriptas summo labore & diligentia conquisitas nactus fueram, nam eas, licet impressas, inter arcana habent, neque exemplaria nisi probatissimis inter eos permittunt, quorum etiam rationem requirunt. Pisanorum Conciliorum acta nunquam videre contigerat, quæ vulgari, & perlegi e re Ecclesiæ foret. Illud namque Papam a nemine judicari posse, origo est & fons omnium malorum. Acta ipsa in Italia videri nunquam permittent; si possent Constantiensia, & Basileensia delere, quam libentissime aggrederentur, & tandem aliquando id acturi sunt, & quanto citius. Julii Apotheosim legi cum voluptate: miror eo tempore aliquem tanta scivisse, præsefert auctorem Erasmum aliquem, aut cordatiorem: Auctorem politicæ dissertationis non possum non mirari, non amare, non colere: libellus est omnibus numeris absolutus: aperit Auctoris peritiam, prudentiam, & judicium, quod sapientiæ anima est. Utinam quisquis ille sit diu vivat, & ingenio & scientia ad publicam utilitatem utatur. Barclay pietatem cum illius literis

teris simul recepi, opus elegantia conditum; oh quam scite in præfatione aperuit, quo nobis adversarii præstant, & quo nos illis minores sumus! de reliquis tu probe nosti, quid sentiam. Nos semper defensiva bella gerimus, & iis invitis, quos maxime pro nobis stare oportebat. Mirum quod Cancellarius Nuncio obsequutus non fuerit, si omnia Jesuitis prospera isthic eventura sunt, quos non tam potentes videor inspicere, qui timore coacti sint ea delere, quæ de Barclay patre scripserunt: quæ tamen cur deleri filius optaverit, perspicere non possum; an non cederent in paternam gloriam? Ego ante Barclajum scripsi, licet fere cuncti Principes exemtiones Clericis concesserint, nunquam tamen inventum iri eos a suprema potestate principali ab aliquo exemtos, aut eximi potuisse, quod a nemine acceptum, sed sola observatione notatum protuli, nescius an antea ab alio dictum fuerit, argui tamen novitatis posse non putavi, nam noviter dictum antiquis Principum legibus, & decretis firmatur, & contrarium commentum quantumvis priscum illis redarguitur. Illud tamen divinare non possum, cur addiderit Barclajus a me non commonefactos, ut par erat, eos quorum intererat id scire; sed ad rem redeo. Jesuitas video non insidiis tantum, sed & vi aperta vos aggredi; quæ in Richerium acta sunt summo animi dolore accepi, non tamen arbitror propterea animum illi deponendum; nam licet factione inimicorum veritatis oppressus sit

novis, & inauditis modis, inimicis tamen ad perpetuam infamiam victoria cedet; ei vero succubuisse omnium bonorum amorem conciliaverit; consilia eventibus non metienda sunt, sed causis; ille cum libellum emisit, cum se auctorem prodidit, id egit quod e publica utilitate esse videbatur. Si eventus optatis non respondit, Dei fortasse providentia actum, ut illo privato infortunio incensus publicam causam acrius tutaretur, quod utinam ex illius beneplacito fiat. Quæ parasti testimonia Regiæ auctoritatis in Pontifices, labor erit inter omnes Orbi proficuus, cum his temporibus exemplis potius, quam ratione agatur; in hoc argumento, & in aliis hujusmodi maxime laborandum. Nam abusus ad sua initia revocare, confutare est. Quod Congregationem Oratorii receperitis, doleam an gaudeam, nescio: contagiones licet parvæ non sunt spernendæ; inde origo Baronii, Bozy, & ceterorum, qui non alium Deum, quam Pontificem agnoscunt; Jesuitarum tamen haud amici, veluti rivales. Tandem in eam sententiam venio, ut gaudeam potius; non veniunt ad remissionem morbi, nisi prius in summo steterint. Gratulor publico bono, quod Collectioni Actuum Senatus extremam manum admoveas. Quam multa sunt, quæ tibi communicare habet animus, quod sequenti anno futurum confido, quando bonum Virum Legatum Principis nostri in isto Regno habituros nos spero. Nos novi nihil habemus, nisi quotidianas Jesuitarum, & Curialium machinatio-

nes, non literarias illas quidem, cum illis omnia dicere liceat, nobis nihil silentio opportunius, sed in salutem, & mirum cur huc usque eventu frustrati sunt. Satis quisque tutus est, qui a Deo protegitur, quem ego, Amplissime Domine, assidue rogo, ut omnia consilia tua fortunet, & omnes Divinas suas gratias cum vitæ incolumitate largiatur, mihique donet, ut aliquando gaudere possim de aliqno tibi exhibito obsequio.

## EPISTOLA XV.

### AD EUMDEM.

DIu optavi posse te literis colere, ut solebam, nam ut earum commercio invitus abstinui; sic tui memoriam perpetuo veneratus sum. In eo rerum statu vivimus, ubi cuncta cicumspicere cogimur, & non ratione regi, verum tempori deservire, & id conari non ut de nobis nemo male loquatur, sed ne omnino loquatur: nihil mihi utilius foret quam otium & desidia, nisi ab illo vitio magis, quam a morte abhorrerem; non tamen semper, & ubique iisdem angustiis premor, per vices relaxatio succedit. Quæ difficultas post discessum Ill. Foscareni contigit, appulsu Ill. Domini Gussonii hujus Reipublicæ ad istam Majestatem Re-

giam Legati ſublata eſt. Hinc liberior mihi viſus; auſus ſum mei memoriam his litteris apud te inſtaurare; exoptans, ut meum nomen jamdudum in ſervorum tuorum albo inſcriptum, vetuſtate non obliteretur, quod harum literarum eſt præcipuum caput. Huic accedit Ill. D. Guſſonii Legati laus, & commendatio: hic vir eſt rerum politicarum maxime peritus, libertatis amans, & colloquiis optimorum, & tui ſimilium maxime gaudet, quem ſi aliquando inviſere libuerit, ut impenſe exopto, oro, & poſtulo, conſuetudine magni viri perfrueris, mihique rem ſummopere gratam facies. Ceterum, ampliſſime domine, Divinam Majeſtatem precor, ut te diutiſſime ſervet incolumem, & mihi donet, ut animi in te propenſionem debitis ſervitiis oſtendere poſſim. Vale.

Venetiis 11. Junii 1616.

## EPISTOLA XVI.

### AD EUMDEM.

SUmma animi lætitia tuas literas vidi, & legi. In eis te veluti præſentem veneratus ſum, gaviſus quod integra valetudine perfruaris, cui rei fidem e characterum formatione deſumpſi, quæ conſtantem oculorum aciem, & manus firmitudinem oſtendit. Deus velit e-

am-

eamdem incolumitatem perpetuo servare, ut Majestatem ejus oro, & exorare confido. Elapsis annis, dum nutantem Franciam audiremus, Senatus iste, & tu præcipue ante oculos meos obversabamini; favebam votis, ut & nunc tranquillitatem istius Regni toto animo exopto, sciens incolumitatem Italiæ saluti vestræ inniti. De nostris rebus multa, & magna tibi dicenda forent, si tempus superesset, & Tabellarius a suo appulsu ad discessum diem unum interposuisset. Cogor differre. Accepi narrationem rerum gestarum in isto Senatu post placitum 28. Martii *1616.* quam maxima aviditate, exaratis his literis, sum percursurus. Interim ut scias etiam hic nova evenire, quæ non exspectarentur, ad te mitto consilium Prælati, quem ego & doctum, & pium existimaram, sed an eamdem de eo opinionem habiturus sum mihi nondum liquet, donec audiero, quo tandem pervenerit, & quid labores, quos molitum se testatur, boni aut mali contineant. Romæ statim damnaverunt quæcumque ab eo scripta, edita, & edenda, & scribenda cum clausula ipsis usitata, ut hæretica, erronea, scandalosa, & piarum aurium offensiva respective. Hanc illius declarationem, vel ut nos dicimus, Manifesto publicavit, & imprimendum curavit Heidelbergæ. Quid deinde illi evenerit nondum scimus. His literis invitus finem facio temporis angustia coactus, sed Deum precor, ut te diu publico bono servet incolumem.

Venetiis 24. Novembris *1616.*

D 3 EPI.

# EPISTOLA XVII.

## AD EUMDEM.

TUas postremas 3. Januarii datas, 5. Februarii recepi. In eis æqui & constantis animi impressa vestigia introspexi. Justus est tibi dolor, quod isti nuper florentissimo Regno duo bella Civilia immineant. Quod ab offensionibus non contentorum præsenti rerum statu excitatur breve futurum spero, & in politiæ reformationem desiturum; sed ab eo valde timeo, quod in Pictaviensi regione initur, & miror Espernonium tantis rebus exercitatum, & in ea qua est ætate consilia tam præcipitia cœpisse. Illud bellum, nisi Deus avertat, Regnum concutiet, & convellet Religionis obtentu; & qui inconsulte movent, non poterunt, cum voluerint, transigere. Sed nos non melius valemus. Ad utrasque Italiæ portas bellis urgemur, & de pace tractatur; quæ si succedat, incertum an bello gravior futura sit. E Gallia, unde olim adjumenta libertatis abundè hauriebamus, modo exeunt instrumenta servitutis. Per Rhetos ad nos tantummodo militares copiæ venire possunt, quod iter nobis præcluditur a Regiis Ministris, quorum interest nos salvos esse, nosque dubio procul juvarent, nisi aureum Diacatholicon ebibissent. Ego tamen me consolor, quod sæpius expertus sim optata

in

in deterius, adversa in melius cecidisse, neque ipse moneo nos in hac mortalitate positos a Deo, ut ex eventis ejus voluntatem observemus, eique nostram conformemus. Interim etiam adverto non ita bene agi apud eos, qui vestra & nostra mala excitarunt. Ubi Reges ætate non sunt minores, neque tamen majores esse prudentia, & servos habere Dominis validiores, & pueros imminuere, qui tam celebratas opes sint distracturi. Sed hæc Deus viderit. De Archiepiscopo Spalatensi post ejus discessum ab Amico audivi, qui cum eo familiariter versatus fuit, inspectos sibi quosdam ex illius libris evulgandis, illosque affirmavit scriptos stylo inaffectato, neque in illis quicquam agi contentiose, ab omnibus asperis verbis abstineri, sua tantum asseri, & cuncta confirmari documentis antiquitatis. Prolixitatem fortasse nimiam non commendavi; incertitudinem, & anxietatem animi diuturnam, quam ingenue fatetur, & ego admirarer, si vixisset in Gallia, ubi loquendi, & audiendi commercio nemo privatur, sed ubi ab incunabulis facultate cogitandi homines orbantur: mirum quod vir Liburnus ( ubi magis viribus, quam ingenio valent ) & in Jesuitarum ergastulis educatus potuerit unquam e tenebris emergere. Harum difficultatum respectu judicium meum de illius bonitate, & doctrina innititur, nam absolutum non tam facile pronunciassem. Joannes Barclajus mihi notus fuit per Satyrici lectionem, & ex libro pro Patre ab ipsomet ad me misso, *et tandem ex animorum .... satyrica*

Apologiam præsertim magis probavi. Illum Romam profectum audivi; quibus rationibus adductum, huc usque scire non potui; dies aperiet; reliqui eruditi viri, qui illuc diverterunt, onerati ingentibus promissis, & capaces speratæ dignitatis excuso, si vi cupiditatis honestæ terga verterint; sed hic uxori alligatus sperare non potuit vel mediocria: si ut liberius in fide Catholica viveret, vivet profecto: fertur libellum composuisse, quem inscripsit *Character Regis Anglici*; quem tamen nondum videre potui. Ego nollem ei viro, quem valde amo, quicquam adversi evenire, sed Tragœdiam timeo; ille ingenio est ad Satyram prompto, pro ea nullibi amplior materia, quam Romæ, & ingens numerus ad illam incitantium: illi maxime timeo, si juxta Salomonis præceptum exacte non caverit, ne ex corde suo Regi maledicat, neque in arcano cubiculi sui potentioribus detrahat, & crediderit volucres aut ventos delaturos cogitata. Miser Guillelmus Reboul promissis onustus ob suam Religionem abjuratam, & librum contra magnum Britanniæ Regem scriptum, magna præmia exspectabat, pro quibus capite obtruncatus fuit 1. Octobris 1611. non aliam ob caussam, neque aliud illi objectum, nisi quod casu repertum fuit in ejus arca breve scriptum adversus vitia Romæ dominantium, nondum ab alio visum. Si Barclajus quid scripserit, nihil magni ab eo exspecto edoctus præteritis exemplis, libera ingenia in adulationem Romanæ Curiæ empta non minus scientiæ, quam con-

scien-

ſcientiæ jacturam facere.

Ad id accedo, quod hujus epiſtolæ ſummum caput eſt. De narratione rerum in iſto Senatu ad me miſſa dicam ingenue, vidi in ea adhuc ingentem libertatem in præclariſſimo ordine, & ejus dignitatem tua opera ſuſtentatam, & conſtantiam quidem ordinis veneratus ſum, ſed tuam præſertim, cui non ſatis fuit inter præcipuos defendendæ libertatis annumerari voluiſſe, ſed defenſæ præco, & promulgator vel cum periculo offenſionis potentium. Te toto animo oro, & exoratum velim, ut me non privatum patiare reliquis, quæ a te conſcripta narras, devoraturum, & perlecturum ea non ſubſecivis ſed pretioſioribus horis; quod ut omnino agere cogaris non modo de promiſſo, ſed tamquam de confecto gratias ago, avide complementum exſpectaturus. Pudet non poſſe par referre, ſed quæ tua eſt humanitas, ac beneficentia propenſionem voluntatis ad tua ſervitia pro opere accipies. Interea perpetuo vale, & me tibi ſummopere devotum ſolita benevolentia & favore proſequere.

Venetiis 17. Februarii 1617.

EPI-

# EPISTOLA XVIII.

## AD EUMDEM.

QUam voluptatem animo conceperam ex literarum tuarum lectione, totam arripuit illarum clausura nuncio excessus D. Thuani, quem virum ut semper maxime feci ob heroicas ejus virtutes, ita a nobis repente ereptum graviter indoleo, neque his duobus diebus, qui ab accepto nuncio transierunt, potui animum ab ea cogitatione avertere; sed ille ut vivens functus est omnibus viri optimi officiis, ita posthac gloria apud Deum, & fama apud homines perpetuo perfruetur; & tibi, ac mihi reliquum vitæ potius per memoriam virtutum ejus, quam per mœrorem transigendum erit.

Quod isthic ante acto Mense accidit de milite, quem Espernonius fractis publicis carceribus vi extraxit, ad vos tunc temporis perlatum fuit, post, quem exitum res habuerit, non fuit nuntiatum. Putabam ego (ut evenit quando leges silent) jus violentiæ cessisse: nunc ex lectione Actorum Senatus, quæ ad me misisti, video ad vos pervenisse nuntium rei male gestæ, sed de correctione injuriæ nihil, quam eo ipso tempore reparatam fuisse gaudeo. Miror constantiam Senatus in tuenda dignitate, tunc cum legibus angustus; & lubricus locus esset.

De

De fortitudine ac prudentia tua nihil dico, de quibus multo majora mihi promitto; sed non possum non extollere egregium temperamentum sententiæ tuæ, quo & Regio præcepto, & dignitati Senatus, quæ invicem arietari videbantur, simul satisfactum fuit. Sed quod tempore tam corrupto hi tibi statim assensi fuerint, cum tot incorruptos fuisse non possim credere, existimationi, quam de te habuerunt, adscribo. Ego minime blandus sum, sæpius, & nunc minus dico, quam sentio, sed dicam ingenue sicuti de tua virtute, & constantia semper certus fui, ita te summa prudentia maxime opportuno tempore cum tyrannis depulsa est, & libertatis radii fulserunt, majora moliturum: id ad nostras rationes respiciens dico, indigemus enim iis, qui exemplis nobis præeant, licet subsint etiam causæ, quæ vos moveant ad minus convivendum.

Legatus Tuscus Romæ degens Guicciardinus cognomento de rebus Gallicis cum Jesuitis quotidie deliberat. Consilia ad Pontificem & Cardinalem Borgiam referuntur; omnibus machinis & spiritualibus, & aureis manus admoventur. Utinam prava consilia, ut olim sæpe, Deus subvertat. Sed ad acta Senatus redeo; illa devoravi tantum ut generali idea animum informarem: plura vidi, quæ me instruere possunt. De quibusdam agendi modis apud vos antea mihi ignotis, sed quæ prima facie maxime mihi probabilia visa sunt, per partes cuncta ruminabo, magis probaturus gesta

post

post iteratas lectiones. De recuperata ab isto Regno libertate, & a maximis periculis evasione, ex animo gratulor, & maxime scire exopto nomen viri, unde initium istius tam prudentis & salutaris consilii, quod enim ad Regem attinet inde illum maximi æstimo, quod audiendi capax fuit, nihil minus laudaturus Regem virum, vel etiam senem. Modo Rex indiget vel eodem, vel alio monitore, qui sicut violentiæ obviam ire edocuit, ita modo ad cavendas insidias instruat. Irrumpent præterea, Religionis prætextu, & pietatis fallaciæ & hujus sæculi venenum hypocrisis, a quibus nisi benignitate Dei, nemo cavere potest. Res nostræ in ambiguo adhuc sunt. In Forojulensi agro post militum Batavorum accessum multæ munitiones hostibus sunt ereptæ, ut ea in regione hac æstate bellum confici posse sperandum sit. In Pedemontano Hispanus Vercellas obsidet, sed spes est defendendi. Utrobique bellum contra illum expensis Reipublicæ agitur, licet hic non minus æstimanda sit virtus, ac solertia Ducis Allobrogum, ac Filiorum, quæ si deesset, pecuniæ non essent satis ad resistendum, sicut neque sine illis virtus satis esset. Hispanis bolus est ereptus e faucibus recuperata a Francis libertate, nam si in cœpto super Gallias dominio perrexissent, tandem & nos oppressi fuissemus. Sæpe & nunc Monarchiam arrepturi videbantur, cum aliquando improviso facinore dejecti sunt. Ita Deus pro sua clementia semper evenire velit; quem etiam rogo, ut te

te diu incolumem, ac mei amantem servet, mihique eam gratiam largiatur, ut tibi non inutilis servus fiam. Quo fine post manus oscula summam felicitatem precor.

Venetiis 6. Junii 1617.

# EPISTOLA XIX.

## AD EUMDEM.

TEstamentum D. Thuani legi magno mœrore ob tanti viri amissionem, sed lætus ob recordationem virtutum ejus. Animadverti qua pietate, & spe vivens sustentaretur. Ille præivit nobis exemplum, quod sequamur. Sed tibi jam mœstitia deponenda. Sic illum malle puto, ut cum lætitia memoriam ejus retineas, & quæ voluerit exequare. De meo Commentario nihil tibi, ut nec ulla alia in re negare possum; tu scis quid meæ rationes ferant, nempe ne eadem lingua iisdem verbis exscribatur: quod tibi non crederem nec mei ipsius fidei committerem (ita mihi Deus bene faveat, ut nulla hyperbole utor) sic in te totus effusus sum, ut æque tibi ac mihi credam. D. Guffonio Legato per eundem Tabellarium scribo, ut tibi totam illam scriptionem tradat, illam recepturus, cum tibi reddere visum fuerit: illa habita liceat quidquid visum fuerit ex-

excerpere, & rebus ipsis ( vel omnibus ) uti; charactere tantum mutato : & quacumque in re putato nihil a te juberi posse, quod summa voluptate, & voluntate non sim executurus; sed de his satis, nam plura addere ejus esset, qui cum alieno, & non cum altero seipso loqueretur. De Cotono quæ scribis attonitus legi, non arbitror sine magno aliquo arcano, immo mysterio facta. Rogo te, insidias cave, & pro meæ formidinis ratione brevem historiam accipe. Jacobum Badoverium Patavii, & Venetiis diu novi, Reformatæ Religioni usque ad superstitionem addictum: ille reversus in Galliam divertit ad nostros. Ubi in Italiam rediit, rogavi quibus rationibus a paterna Religione dimoveri potuerit, in qua natus, & educatus fuit. Respondit P.Cotonum Civitatem Melou, aut Abderam metitum validissimis argumentis omnem religionem dedocuisse, & extirpasse, inde in vacuum sinum utiliorem infruisse: quidni igitur tibi ab eo timeas, qui nullum numen timet? Casus Concini, & ejus Viduæ ludi rerum humanarum fuere, quæ pios movent fugiendæ polypragnosines. P. Puteanum meo nomine salvere maxime cupio, quem recens notum inde magni facio, quod a Thuano Bibliothecæ, & Editionis historicæ cura ei demandata fuerit. Quod reliquum est, Amplissime Domine, Deum oro, ut te suis divinis favoribus semper prosequatur, & mihi donet, ut tibi servus frugi esse queam.

Venetiis 4. Julii 1617.

PA-

# PAULI SARPII EPISTOLÆ

## AD

## JACOBUM LESCHASSERIUM

## EX COD. COLBERTINO 2832.

### EPISTOLA I.

Supplici tuo libello, Vir. Excel. cujus exemplum ad me misisti, animadverto, tibi non minus laborandum pro tuendo Arresto obtento, quam pro obtinendo laboraveris; sed tanti est pro impedienda Cleri audacia illud decretum servari, ut sit operæ pretium nunquam a labore desistere. Prudentissime tu Regi exposuisti, quod si Clero permissum fuerit advocati actionem censura notare, inde transibunt ad Judicum sententias, post ad Regia edicta, & tandem ad Leges, quæ Regni fundamenta sunt. Inter hæc obiter meministi, quod Archiepiscopus Aquensis mandaverat Presbyteris, ne absolutionem in Paschate tribuerent Senatoribus Aquensibus; neque

que præterea dicis, quo ea res evaserit tandem id quod scire cupidissime exspectabam; nam hoc anno in Civitate Pinguenti, quæ ad Dominium Reipublicæ spectat, sed Diœcesi Tergestinæ subest, mandavit Episcopus Præsbyteris, ne audirent Confessiones Capitanei, & hominum Communitatis, eo quod illius præcepto de non admittendis quibusdam Præsbyteris paritum non fuerat; & quia Tergeste non subest Venetorum Dominio, Episcopus videbatur sibi posse tuto pro libito agere; præsertim cum neque is esset rerum status, ut Roma remedium exspectari posset; huic difficultati hoc modo obviam itum est. Archipræsbytero loci mandatum fuit, ut declararet, non potuisse Episcopum miscere forum pœnitentiale cum contentioso, & propterea Præsbyteros non teneri ejus mandato de non audiendis Confessionibus obedire; quamobrem irent, & Exomologeses suas de more facerent, atque ita factum, & Episcopus quo se verteret nesciens, silentio rem approbavit. Hæc olim non fuissemus ausi, sed modo novis gravaminibus nova remedia adhibere cogimur. Scire opto quibus vos in hujusmodi utamini, & quo usi fuerint Aquenses. De Jesuitarum arcano agendi modo in his locis, unde ejecti sunt, ipsam rem acu tetigisse te arbitror; multis indiciis, iisque satis probabilibus creditur, eorum aliquos, mutato habitu, in has Civitates venire, idque ab illis fit non magna difficultate. Hujus rei rationes duæ sunt, alia ut suos in fide, & subjectione contineant, ne ad alios di-

ver-

vertant: alia ut pecunias a Viduis, & aliis superstitiosis divitibus corrodant. Quod miraris tu id fieri cum ordinariorum Pastorum injuria, cum non sinant, & ubique locorum Jesuitæ non permittant suis Devotis quicquam cum Pastoribus tractare, nisi se consultis, & venia prius petita; illud magis mirandum, quod a Pastoribus plerisque eodem veneno infectis foventur. Distinctio Præsidis le Maistre inter juramentum fidelitatis, & Vassallatii mihi videtur apertissima, cum quilibet subditus, licet nihil habeat rei immobilis, neque etiam mobilis, (si id evenire posset) teneatur nihilominus ad fidelitatis juramentum. Quod vero ais, adigi posse Episcopum ad Sacramentum, ne potestate ligandi abutatur in perniciem Reipublicæ, adhuc amplius est: attamen nihil maxime verum, & juris gentium esse videtur, cum possit quilibet adigi ad juramento cavendum ea se præstiturum publico servitio, ad quæ tenetur, & teneatur quilibet potestate spirituali in publicam perniciem non abuti. Quid vero dicemus ad C. Nimis de jurejurando, ubi dicuntur Laici nimis de jure divino sibi usurpare, cum Ecclesiasticos nihil temporale obtinentes ab eis ad præstandum sibi fidelitatis juramentum compellunt, quod & fieri Papa, approbante Concilio, prohibet? Cupio ex te discere, an in antiquorum Regum Edictis, vel Curiarum Arrestis de hoc Canone actum aliquando fuerit. Ne mireris, Vir Clarissime, quod de Sardicensibus Canonibus non tam fa-

cile sententiæ tuæ acquiescam ; id enim ago ; ut veritatem certius comprobare possim . Nobis res est cum Adversariis, qui cum sibi credi sine ullis documentis postulent , nobis nisi clarissima , & evicta non concedant , & hæc aliquando obnubilent , ut unicus Sol nobis non sufficiat , & in meridio etiam cereos accendere cogamur . Quod Afri in Epistola ad Cœlestinum dixerint, *nulla Patrum Synodo statutum*, fateor, excludit nedum Nicænum, sed & omne Concilium ; inde conjectura , quod suppofititii sint Sardicenses, levis quidem , sed quam possimus aliis adminiculis fulcire . Primum ea, quam tu innuis , quod Zozimus eos Canones non tanquam Nicæni Concilii produxisset, si Sardicensis esse notum fuisset , quod & tunc sciri oportuit , cum per solos 70. annos Zozimi Pontificatus a Sardicensi Concilio distet ; cui addi potest, quod Faustinus, & alii Romani Legati, ac Cœlestinus falsitatem objectam ex semisse diluissent , si ostendissent eos Canones saltem alterius Concilii fuisse, nempe Sardicensis. Præter hoc , id ipsum confirmari potest , quod Theodoretus, & Sozomenus , qui ejus Concilii satis prolixa oratione meminerunt, de Canonibus nihil dicunt , licet alter eorum de absolutione Athanasii a Julio ea dicat , quæ necessario requirerent illorum Canonum mentionem . Accedit, quod 8. 9. 10. 11. de eundo ad Comitatum videntur in aliquo Africano Concilio constituti, & locus ille, de quo fit mentio in 11. Canone, cui Canalis nomen, in Africa si-

tus

tus. Ostendit Gaudentius auctorem Canonis esse Africanum aliquem Episcopum, prout & in priori Canone nomen Alipii Africanum est. Sed cum dicti Canones forte sine titulo Auctoris reperirentur, Gaudentius ille creditus fuit a sciolo aliquo esse, de quo mentio apud Sozomenum, qui Ciriaco successit, & Sardicensi Synodo interfuit, & propterea ei Concilio eos Canones Gaudentii nomine deceptus adscripsit. Hæc omnia simul juncta magna sunt, fateor; verum quod illis se convinci Adversarii non sinerent. (1) Ne-



(1) *Neque ego his sum contentus*. Con ragione l'Autore non si appaga delle addotte congetture, perchè di fatto sole non bastano a mostare la falsità di questi Canoni. Che Zosimo li abbia prodotti sotto il nome di Niceni, e non di Sardicensi, ciò fu a lui comune con altri Pontefici, cioè, con Siricio, ed Innocenzio I., i quali sedettero prima di lui, e con Leone, che alcuni anni dopo gli successe. *Ut vestra subscriptione*, sono parole di Siricio (ep. 3. c. 1.) *Canonis dispositio, quæ apud Nicæam tractata est, confirmata, fundatissima permaneret, ut tales, videlicet, ad Ecclesiasticum Ordinem permitterentur accedere, quales Apostolica auctoritas jubet, non quales dico, vel eos, qui cingulo militiæ secularis adstricti olim gloriati sunt, qui posteaquam pompa seculari exsultaverunt, aut negotiis reipublicæ optaverunt militare, aut Mundi curam tractare .... ingeruntur auribus meis, ut Episcopi esse possint*. Di questi, che dalla Corte, e dalle cure del secolo volevano passare all' Episcopato, nulla dicono i Canoni Niceni: bensì il XIII. Sardicense proibisce, che un Laico dal foro, od altra amministrazione secolaresca si assuma all' Episcopato, senza che abbia prima esercitati gli officj di Lettore, Diacono, e Prete: onde così data pruova per lungo tempo della sua fede, modestia, gravità, e verecondia ascenda per tutti i gradi alla sublimità dell' Episcopato. Lo stesso Canone col nome di Niceno fu indicato da Innocenzio

Neque ego his ſum contentus, præſertim cum Dionyſius Exiguus Sardicenſium Canonum meminerit. De his Canonibus quod olim cogitaverim, antequam ullam falſitatis ſuſpicionem con-

cenzio I. (ep. 25. ad Conc. Tolet. c. 3.) *Quamvis dilectioni veſtræ regulæ Nicenæ ſint cognitæ . . . . . tamen aliquam partem, quæ de Ordinationibus eſt proviſa iſtruendam putavi . . . . Ac primum, quæ ſunt prohibita, digerantur, ne quiſpiam, qui poſt Baptiſmum militaverit, ad Ordinem debeat Clericatus admitti, neque qui cauſſas poſt acceptum Baptiſmum egerint . . . . . neque de Curialibus aliquem ad Eccleſiaſticum Ordinem venire poſſe*. Lo ſteſſo Innocenzio nella lettera *ad Victricium Rothomagenſem Epiſcopum*, c. 3. così ſcrive: *Si majores cauſſæ in medium fuerint devolutæ ad Sedem Apoſtolicam, ſicut Synodus ſtatuit, & beata conſuetudo exigit, poſt judicium Epiſcopale referantur*. Il Sinodo qui nominato dal Pontefice, *ſicut Synodus ſtatuit*, è quello, ch' egli aveva eſpreſſo poco ſopra, cioè il Niceno: *ſi quæ cauſſæ* &c. *ut ſecundum Nicenam Synodum . . . . . jurgium terminetur*. Il Niceno però non decreta, che *majores cauſſæ ad Sedem Apoſtolicam poſt judicium Epiſcopale referantur*; ma il Sardicenſe. Queſti adunque da lui fu indicato col titolo di Niceno. S. Leone (ep. ad Theodoſ. Imp. contra il Latrocinio Efeſino) parlando dell'appellazione di Flaviano, e dell'eſame della di lui cauſa in un nuovo Concilio: *quem autem*, ſcrive, *poſt appellationem interpoſitam hoc neceſſario poſtuletur, Canonum Nicææ editorum decreta teſtantur*. Di queſta neceſſità, di cui egli favella, non poſſono rendere teſtimonianza i Canoni Niceni, che ſopra tal punto nulla determinano, bensì i Sardicenſi. Siricio dunque, Innocenzio, Zoſimo, Leone allegarano col nome di Niceni i Canoni Sardicenſi, e tal uſo ſecondo l' oſſervazione di dotti Scrittori Eccleſiaſtici derivò dal regiſtrar che faceva la Chieſa ne' ſuoi Codici i Canoni degli altri Concili dopo i Niceni. Avendo adunque Zoſimo ſotto il nome di Niceni addotti i Canoni Sardicenſi, i Veſcovi Africani sì nel Codice della loro Chieſa, sì negli eſemplari, de' quali loro furono traſmeſſe copie da' Prelati Aleſſandrino, e Coſtantinopolitano, non trovarono i citati Canoni, certamente fra i Niceni non potevano trovarſi, perchè non era-

concepissem, licet non mihi omnino arrideat; non reticebo. Horum Canonum duæ sunt editiones, una primæ, alia secundæ nomine circumfertur; in priore dicitur Can. 3. *Si vobis pla-*

E 3

erano Niceni. Perciò (qualunque ne fosse la causa) nulla sapendo de' Sardicensi, scrissero, *nulla invenimus Patrum Synodo constitutum*. Per altro nel Concilio, il quale porta il nome di Cartaginese I. tenuto in quella stessa Città, in cui si tenne quel Concilio Africano, di cui parliamo, Prato Vescovo Cartaginense, uno de' Padri, che intervennero al Concilio di Sardica, così parla; *memini*, si leggano le sue parole nel Cap. 5. *memini in Concilio Sardicensi statutum, ut nemo alterius plebis hominem usurpet*. Fra i Canoni Sardicensi, che ora abbiamo, si trova appunto il 18. ed il 19. nella versione di Dionisio Esiguo, ed il 15. nel testo Greco, i quali determinano sopra tal materia. Dall' essere dunque stati ignoti a' Padri Africani al tempo della controversia, ch' ebbero con Zosimo, Bonifacio, e Celestino, non si può raccogliere, che sieno sopposítizi. A questi Canoni parimenti pare, che si debbano riferire le parole scritte da Valentiniano III. Imperadore a Teodosio, colle quali asserisce, che Flaviano Vescovo di Costantinopoli ricorse coll'appellazione dalla sentenza del Latrocinio Efesino al Romano Pontefice *secundum solemnitatem Conciliorum*. Erano dunque tali Canoni e noti, ed osservati nella Chiesa Orientale.

Quanto alla voce *Canale* espressa nell' undecimo Canone il Du. Cange nel Glossario dice, che significa strada pubblica. Sant' Atanasio nell' Apologia seconda dice, che alcuni dei Vescovi, i quali intervennero al Concilio Sardicense, furono *ἐν τῷ καναλίῳ τῆς Ἰταλίας*, *in canalio Italiæ*, cioè, dalle parti dell' Italia. Le altre congetture addotte dall' Autore sono assai lievi, e non hanno bisogno di replica. Anzi, se alle congetture si voglia dar luogo, convien dire, che il motivo per cui fu convocato il Concilio Sardicense, diede occasione alla formazione di quei Canoni stessi, che sono distintamente presi di mira dall' Autore di questa lettera, cioè, de' Canoni, i quali versano sull' appellazione alla Sede Apostolica. Alla convocazione di questo Concilio diedero motivo le calunnie degli Eusebiani contra S. Atanasio, Marcello Ancirano, ed As-

*placet* , *S. Petri Apostoli memoriam honoremus* , ut scribatur Julio Romano Episcopo. Inde plura collegi, primum, nullum ante hos fuisse Canonem de appellationibus; aliter non dixissent

---

Asclepa Gazense da loro condannati, e deposti. Questi, voglio dire gli Eusebiani, furono chiamati al Concilio, e di fatti andarono a Sardica; ma ricusando di comunicare con Atanasio, Marcello, ed Asclepa, presero quindi pretesto di separarsi, e di notte occultamente sottrattisi si portarono altrove a tenere Conciliabolo, nella di cui lettera Sinodale, che si trova ne' frammenti di S. Ilario, imputando agli Occidentali la colpa della loro separazione, *hanc novitatem*, così si lamentano, *moliebantur inducere, ut in Concilio Orientales Episcopi quod forte statuissent, ab Episcopis Occidentalibus refricaretur: similiter quidquid Occidentalium partium Episcopi, ab Orientalibus solveretur*. Tanti schiamazzi facevano, perché non si voleva confermar senza il dovuto esame il tenor delle loro decisioni e sentenze per altro ingiustissime. Costoro alquanti anni prima nel Concilio da essi tenuto in Antiochia formarono questo Canone, in se stesso buono, ma suggerito loro dall'odio, che gli attizzava contra Sant' Atanasio, il quale iniquamente da essi deposto per Imperiale comando si restituì alla sua Sede. Il Canone è duodecimo in numero: *Si quis a Synodo fuerit Episcopus forte damnatus, & Imperatoris auribus molestus extiterit, oporteat ad majus Episcoporum converti Concilium... Si vero hæc parvipendentes molesti fuerint Imperatori, hos nulla venia dignos esse*. I Padri Sardicensi pertanto volendo appostatamente opporsi a tali ingiusti lamenti contra gli Occidentali, lamenti che tendevano principalmente a ferire Giulio Romano Pontefice, volendo opporsi a queste deliberazioni suggerite dalla cieca passione decretarono così: *quod si aliquis Episcoporum*, (can. 3.) *judicatus fuerit in aliqua caussa, & putat se bonam caussam habere, ut iterum Concilium renovetur, si vobis placet, S. Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his, qui caussam examinarunt, Julio Romano Episcopo, & si judicaverit renovandum esse judicium, renovetur, & det judices. Si autem probaverit talem caussam esse, ut non refricentur ea, quæ acta sunt, quæ decreverit confirmata erunt*. Mormoravano gli Eusebiani, perchè da Giulio Pontefice Romano,

ſent, *ſi vobis placet*; deinde nullum eſſe jus divinum eadem de cauſa, quod divino mandato dandum fuiſſet, & non libero honori B. Petri. Tertium, quod Canones illi non videntur conſtituti in perpetuum, ſed pro cauſſis tantummodo eo tempore vertentibus, cum jus audiendi Appellantes non Romano Epiſcopo, ſed Julio Romano Epiſcopo tribuatur. (1) Verum

E 4

---

e dagli altri Veſcovi Occidentali ſi ritrattaſſero gli affari trattati ne' loro Concilj, *Orientales Epiſcopi quod forte tacuiſſent ab Occidentalibus refricaretur*; e i Padri Sardicenſi propoſero, che di quegli affari ſi portaſſe al Pontefice Giulio la relazione, *ſcribatur ab his, qui cauſſam examinarunt, Julio Romano Epiſcopo*. Stabilirono gli Euſebiani, che aſſolutamente ſi teneſſe un nuovo Concilio, *oportet ad majus Epiſcoporum converti Concilium*, e i Sardicenſi decretarono, che ſi riaſſumeſſe il giudizio non aſſolutamente, ma poſta la condizione, che ciò venga giudicato opportuno dal Pontefice, ed egli ſteſſo ne aſſegni i giudici, *ſi judicaverit renovandum eſſe judicium, renovetur, & det judices*. Dalle coſe dette chiaro ſi ſcorge, quale e quanta occaſione abbiano avuta i Sardicenſi di formare l'addotto Canone. Lo ſteſſo debbe dirſi del quarto, e ſettimo, che ſono coerenti al terzo. Se dunque deeſi ſtare alle congetture, ſi ravviſa, che non ne mancano di quelle, le quali ſervono ad inſinuare la verità di queſti Canoni. Prendaſi però la preſente per quella che la è, cioè, per congettura ſemplice, e nulla più.

(1) *Verum hæc leviora ſunt.* Certamente le oſſervazioni fatte hanno poco di forza. Le parole, *ſi vobis placet*, eſpreſſe nel Canone non eſcludono il gius delle appellazioni alla Romana Sede anche ne' tempi anteriori a queſto Concilio. Qualche anno prima della di lui convocazione così ſcriſſe agli Euſebiani il Pontefice Giulio; *Oportuit ſcribere omnibus nobis ... Epiſcopi enim erant qui ita patiebantur .... An ignari eſtis hanc conſuetudinem eſſe, ut primum nobis ſcribatur, ut hinc quod juſtum eſt, definiri poſſit?* Perchè il Pontefice de' Veſcovi da loro iniquamente depoſti, e depoſti, perchè l'impegno, con cui era ſovvenuta da quei zelanti Prelati la Cattolica Fede, li ren-

rum hæc leviora ut quam sunt, his te detineri æquum sit. Sed tamen horum Canonum censura,

---

rendeva odiosi agli Eusebiani. Questi però, benchè tutti fossero stati condannati in odio della Nicena Fede, non tutti furono deposti sotto il pretesto, che professassero dogmi non sani, ma alcuni, come Sant' Atanasio Vescovo Alessandrino, per altri delitti calunniosamente loro addossati. E pur dice Giulio: *Cur igitur & in primis de Alexandrina civitate nihil nobis scribere voluistis? An ignari estis, hanc consuetudinem esse, ut primum nobis scribatur?* Con queste parole chiaramente attesta, che il dirigere al Pontefice Romano le dovute informazioni sopra tali cause era cosa già passata in consuetudine. Se dunque di queste materie dovevasi a lui portare la relazione, a lui altresì si poteva appellare, quando senza sua saputa i Concilj se n' erano ingeriti. I Padri Sardicensi pertanto confermarono co' loro Canoni la già inveterata consuetudine; e giudicando cosa non affatto necessaria far consapevole il Romano Pontefice delle cause de' Vescovi, in caso che questi si sottomettessero con rassegnazione alle sentenze de' Sinodi, stabilirono di ricorrere a lui, quando i medesimi Vescovi richiedessero un nuovo esame della lor causa.

Alla seconda osservazione fatta dall' Autore della lettera rispondo, non potersi raccogliere dalle parole: *si vobis placet, Sancti Petri memoriam honoremus*, che il gius delle Appellazioni non sia gius Divino, *Si vobis placet*, cioè: benchè vogliano le Divine ordinazioni, che si riconosca per Giudice supremo il successore di S. Pietro, e non siavi bisogno di stabilire per questo una regola; attestiamo però la nostra venerazione collo stabilimento di questa regola. E perchè l' onorare la memoria di S. Pietro colla formazione di alcuni Canoni era cosa dipendente dall' arbitrio, perciò fu scritto: *si placet*. Ma per altro da ciò non siegue, che i Padri Sardicensi giudicassero, che fosse in loro arbitrio il riconoscere nelle materie allora trattate l' autorità del Romano Pontefice. Nè dicasi, che dalle parole del Canone non si può dedurre, che tale fosse il loro sentimento: perchè basta nel presente caso mostrare, che dalle medesime parole non si può raccogliere esser eglino stati di sentimento contrario. Cioè, basta che le loro parole ammettano una spiegazione, che non discordi dal nostro sentimento. A mostrar poi, che il sentimento loro si accordasse col

ſura, ut certo ſtatuatur, an legitimi, vel ſuppoſititii ſint, non eſt prætermittenda : (1) Huic

col noſtro ſerbano altre pruove, cioè, quello che vengono addotte per dimoſtrare il Primato del Romano Pontefice, poichè con eſſe facendoſi vedere, che egli fu ſempre ammeſſo dalla Chieſa, ſi dimoſtra in conſeguenza eſſere ſtato pure ammeſſo da' Padri congregati in Sardica. Si può altresì alla medeſima oppoſizione farſi incontro col diſtinguer due coſe; l'una, che al Pontefice Romano ſi debbano portare le relazioni in caſo ch' egli ciò voglia, e queſta non cade ſotto il *placet*; l'altra che ſpontaneamente a lui ſi portino, ſenza ch' ei tal coſa ricerchi, e queſta può cadere ſotto il *placet*. Onde *placet* in tal caſo vuole dire: compiacciamoci di eſibire volontarj quell' atto di onore, ch' egli per altro può con tutta ragione pretendere. Se qui ſi ripeteſſe non poterſi provare, che tale ſia ſtato il loro ſentimento, ripeterei quanto ultimamente ſi è detto prima di paſſare a queſta ſeconda riſpoſta.

Finalmente quanto alla terza rifleſſione dell' Autore della lettera, che nel Canone non ſi nomini aſſolutamente il Romano Pontefice, ma Giulio Romano Pontefice, nella prima nota ho già avvertito, che con queſti Canoni i Padri del Concilio vollero opporſi al procedere degli Euſebiani, il quale andava a ferire Giulio Romano Pontefice, e perciò eſpreſſamente lo nominarono. Si ſa, che il Concilio Sardicenſe fu convocato per ritrattar la cauſa di Sant' Atanaſio, di Marcello, di Aſclepa, e di altri Veſcovi depoſti dagli Euſebiani, e da Giulio reſtituiti alle loro Sedi. Aggiungo: che i Sardicenſi profeſſarono di onorare in Giulio non le ſue qualità perſonali, e proprie, ma la qualità ad eſſe comuni cogli altri Romani Pontefici, di ſucceſſor di S. Pietro. *S. Petri memoriam honoremus, ut ſcribatur Julio Romano Epiſcopo*. E certamente l' aggiugnerſi al Romano Pontefice il nome ch' egli ha, non prova che ſempre a quel ſolo, il quale viene nominato, debbano attribuirſi le coſe, che di lui ſi dicono. Dimando: dopò la morte di Giulio a chi ſi doveva ſcrivere nel caſo propoſto dalle parole del terzo Canone ſopra citato? (nella ſua nota.) *Si aliquis Epiſcoporum &c. putat ſe bonam cauſſam habere . . . . . ſcribatur Julio*. Nel quarto però, e ſettimo Canone conſecutivi al terzo nella materia che contengono, ſi parla del Pontefice ſenz' aggiungere il nome.

(1) *Huic cardini maximus orbis evolvitur*. E qual è queſto *maximus orbis*? Forſe che, poſto ancora il Primato del

Som-

Huic enim cardini maximus orbis evolvitur. Ego in tuam ſententiam propendeo, & tamen plura momenta requiro. Hæc non ſcripſi, ut pergam eadem de re ſæpius eſſe moleſtus, ſed ut a te longiores literas eliciam, ex quibus uberes fructus doctrinæ percipio, & monita recuperandæ libertatis, quæ pluris exiſtimo. Vale, Vir Excellentiſſime, me Tui obſervantiſſimum exiſtima, ac D. Caſaubono ſalutem dicito.

Venetiis die 26. menſis Auguſti 1608.

---

## EPISTOLA II.

## AD EUMDEM.

Accepi tuas literas 8. Sept. Video te totum eſſe in Concilio Tridentino commode

---

Sommo Pontefice, quale vien confeſſato da' veri Cattolici, non ſuſſiſte più il gius delle appellazioni, ſe non ſuſſiſte la verità de' Canoni Sardicenſi? Ma, poſto veramente il Primato, ſieno legittimi, ò nò, quei Canoni, non può eſſere diſputato queſto gius. Quando mai poſſono i ſudd.ti contendere al Sovrano il diritto di chiamar al ſuo tribunale ogni anche minima cauſa? S' intende forſe con quelle parole *maximus orbis* il Primato ſteſſo? E' falſo ch' egli *huic cardini evolvatur*. Quando non ſuſſiſteſſe la ſincerità de' Canoni Sardicenſi, altro da ciò non ſeguirebbe ſe non queſto, che per provar tale Primato vi ſarebbe un argomento di meno. Quelli che reſtano però ſono aſſai forti per reggerſi da ſe, ſenza biſogno di queſto appoggio, a cui attenerſi.

de interpretando: ſed in eo non eſt, ut in reliquis legibus, agendum, in quibus interpretandis nihil aptius quam procemia exacte perſpicere, ex quibus ſtatuendi ratio & occaſio cognita ſenſum & mentem Legislatoris aperit. Secus in Concilio Tridentino nihil longius trahit, quam procemiorum conſideratio: eorum in Italia nulla cura. Ego adoleſcens rogavi Archiepiſcopum Roſan. qui poſtea fuit Urbanus, & ei Concilio interfuit componendis Decretis præfectus, quid eſſet in cauſſa, cur contra morem præfationibus Decretorum Concilii narrationes & concluſiones vel contrariæ eſſent, vel ſaltem non concordarent. Reſpondit ille, Decreta formari ſolita ſibi ipſis omni ex parte ſimilia, quæ ſicut reformationem initio proponebant, ita in fine ſtatuebant: verum dum in Congregationibus Tridenti, & Romæ rependebantur; præfatio omnibus arridebat, illa nemini erat moleſta, ſed ex Decreti corpore oportebat tanta tollere, vel addere, donec omnibus ſatisfactum eſſet.

## EPISTOLA III.

### AD EUMDEM.

Nondum mihi perſpectum erat, Vir Excellentiſſime, unum ex præcipuis juribus libertatis Regni, & Eccleſiæ Gallicanæ, quod

ex

ex tuis literis 2. Augusti elatis innotuit. Animadverteram Leonis X. Bullam, quæ *Concordatum* appellatur, munitam Edicto Regis Francisci Primi, mirabarque, cum ea constitutio tota de Beneficialibus ageret, cur Regium edictum illi præmitteretur. Legeram apud Stephanum Pasquier aux Recerches ep. 3. c. 12. Curiam Parlamenti per Arrestum protestatam fuisse, ne per gratuitam, & irrequisitam absolutionem a Papa collatam Regi Henrico II. in Brevi Apostolico erectionis Universitatis Rhemensis, intelligeretur Regem subjectum fuisse, aut subjici posse Censuris Ecclesiasticis, mirabarque quam ob rem Curia tunc sollicita fuerit ob particulam, quæ quotidie in literis Apostolicis videtur. In D. Thuani historia, licet totam legerim, locum non animadverti, eo quod rem ipsam non intelligebam. Ita est; In lectione Auctorum scire primum oportet, quæ notanda sunt; secus minime observantur. Tu modo, Vir Excellentissime, omnem dubitationem amovisti. Maximum caput libertatis hoc est, quod nulla Constitutio Apostolica locum habet in isto Regno, nisi Edicto Regio fulciatur, quod procul dubio idem est ac si dicatur, nisi a Rege ipso idem præcipiatur. In Italia olim erat tolerabilis conditio nostra, cum novæ Constitutiones per omnes Civitates portarentur, & ibi publicarentur, & reciperentur, ubi convenirent, indeque mentio apud nostros Constitutionum alicubi receptarum, atque alibi minime, & adhuc viget mos aliquibus in locis; ut non publi-

bli-

blicentur nisi examinatæ, velut in Regno Neapolitano adhuc id servatur, ut nulla Bulla, Breve, aut aliud mandatum publicari possit, aut executioni mandari sine Regia permissione. Modo Curia Romana nostris diebus edidit Constitutionem, per quam decrevit, ut sola publicatio Romæ habita sufficeret ad quoslibet obligandos; unde multitudine Constitutionum premimur, neque solum illis, quæ in Bullariis reperiuntur, sed sæpe aliqua profertur, cujus nulla notitia prius habebatur, & ad observationem cogimur, neque defensio abrogationis per contrariam consuetudinem prodest, præsertim ubi de Censuris agitur, neque legibus, aut moribus antiquis Civitatum obviam iri potest, quoniam Confessarii denegant absolutionem cuicumque non parenti Bullis Apostolicis; nulla admissa excusatione, per quam aliquis assereret se non teneri, & hanc sententiam tanquam Fidei articulum docent, & religiose observant, satisque habent, cum de antiquis Constitutionibus agitur, si aliquo in libro impressæ reperiantur, vel earum aliquis Scriptor meminerit. In novis vero satis putant, si circumferantur exemplaria, vel jam si sola fama ferat Bullam emanasse, aut ipsi aliquo modo id noverint. Quamobrem nunc cessat porsus distinctio Constitutionum usu receptarum, & non receptarum, ac usu contrario abrogatarum; neque spes ulla est, ni huic malo medicina adhiberi possit. In causis vero, quæ inter privatos aguntur, si quid obtineatur a Pontifice, quod auctoritatem

sce-

sæcularis Magistratus imminuere videatur, impetranti mandatur sub pœnis &c. ut impetratis renunciet; quia mos in hac parte sic satis tuetur sæcularem potestatem. In Beneficialibus ubi quis provisus fuit, suas Bullas præsentat, quibus visis, scribitur a Principe ad eum Magistratum, cujus jurisdictioni subest locus, ubi sita est Ecclesia, quod Ecclesiam talem vacantem ratione obitus talis eam obtinuit a Domino Papa; quapropter ipsi Magistratui mandatur, ut eum in possessionem ponat, ea tamen lege, ut neminem in possessione repertum ejiciat. Si nullus possidet, provisus possessionem acquirit; si aliquis possidere reperiatur, Magistratus inter eos judicat, neque ullum aliud genus possessoriarum caussarum a nostris Magistratibus judicatur. Procul dubio, ut in aliis tuis literis ostendisti, possent in his literis concedendæ possionis addi conditiones, quibus Beneficiarii ad multa Principi obligarentur, & posset restitui disciplina; sed hoc sensim agere oportet, tum quia invigilant Romani semper, nedum ut nos coerceant, ne terminos egrediamur; verum etiam ut de nostro quotidie sibi aliquid usurpent. Tum insuper, quod mos est hujus Reipublicæ, ut a novis, licet necessariis, abstineat. Vidi juramentum præstitum Regi per Archiepiscopum Lugdunensem, ubi animadverti, jurari fidem debitam ratione personæ, Civitatum, Castrorum, & in fine addi *autres domaines*. Rogo te, ut rescribas, an eo nomine comprehendantur possessiones etiam, quibus nulla sit adjuncta

juris-

jurisdictio ; nam Episcopi nostri pauci habent loca cum jurisdictione. Quos Dominus Blondus portavit libros, omnes vidi. Est præter eos apud me libellus quidam Parisiis impressus auctoris nomen non profert : qui in summa colligit fere omnia privilegia Gallicanæ Ecclesiæ. Is mihi fuit maximo usui. Verum omnes libri de eo argumento agentes prætereunt multa isthic, ut arbitror, notissima, quod usu vigeant, nobis vero obscura. Eam ob rem de Constitutionibus Pontificum plura didici ex tuis literis, quam ex omnium librorum lectione; & propterea Tibi, Vir Excellentissime, maximas habeo gratias. Deum rogo, ut ingentem pro isto labore mercedem tibi referat. Vale.

Venetiis die 2. Septembris 1608.

## EPISTOLA IV.

### AD EUMDEM.

Literæ tuæ 6. Sep., Vir Excellentiss., nudius tertius receptæ multa de juribus ac moribus vestris mihi hactenus ignota, vel ambigua expedivere. Quod Arrestum pro te latum mansurum sit valde animo placet ; retundit enim arrogantiam eorum, qui se censores omnium arbitrantur. Miror Jesuitas non sibi sumere eam provinciam, ut contra te pro Adversariis scri-

bant,

bant, cum ubique se impugnatores profiteantur ejus doctrinæ, quæ aliquam Aristocratiam in Ecclesiam introducat, cujus adeo inimici sunt, ut cum hic vir quidam eruditus libellum composuerit, in quo probare contendebat Aristocratiam Monarchiæ præstare, licet ibi nulla mentio esset vel Ecclesiæ, vel Religionis, & thesis illa pertractaretur tamquam a Philosopho, non ut a Christiano; attamen boni hi viri totis viribus contendere, ne libellus divulgaretur, & vicerunt. Inter appellationem ab abusu, qua utimini, & Hispanorum morem, quo Literarum Apostolicarum executionem impediunt, id interesse mihi videtur, quod inter Francorum, & Hispanorum ingenium. Hi valent artibus, vos semper apertis viribus pro appellatione ab abusu pugnatis. Hispani prætextu reverentiæ eludunt. Emanuel Sa eum morem, ut tu bene notasti, approbaverat, addideratque pro ratione hæc verba: *Deinde facientes contra Papæ Literas, aut præcepta justa de causa, aut necessitate non incidunt* &c., quæ verba Curia Romana in censura hujus Libelli anno 1607. promulgata expungi jussit. In hæc tempora incidimus, ut dicere non liceat posse aliquid fieri contra Papæ Literas ex justa causa, aut ex necessitate. Romani Pontifices morem Gallicum appellationis, tanquam ab abusu, per Bullam Cœnæ Domini damnaverunt olim. Morem Hispanum defendit Didacus Covarruvias, licet Episcopus, longa disputatione, neque Curia Romana obviam ire ausa fuit usque ad annum

num 1586., quo Sixtus V. in Bulla Cœnæ excommunicat omnes impedientes executionem literarum Apostolicarum, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, & donec informaverint, aut supplicaverint, aut supplicari fecerint, nisi supplicationes legitime prosequuti fuerint. Hac de causa Jesuitæ, & Doctores Itali, qui morem Hispanum defendebant, hodie tacent. Hispani Judices id scire dissimulant, & pro more suo agunt. In Italia, præsertim sub hujus Reipublicæ Dominio, jus erat, & perdurat, ut impetrans renunciare cogatur, vel quicumque actor ab actione desistere, nec minus hoc ipsum in ea Bulla damnatum fuit. Inde cœpere Italiæ Principes, & aliquæ Communitates, ubi Clerici sui aliquas Literas obtinuissent, quibus publica pax turbaretur, advocare propinquos Clericorum, eosque pœnis, vel minis cogere, ut Clericos ab actionibus desistere facerent. Id cum passim, & magno cum fructu fieret, etiam a minoribus Principibus, primus hic Pontifex anno 1606. in Cœna excommunicavit nedum eos, qui contra impetrantes, & agentes procedunt, sed etiam, qui consanguineos, affines, familiares perterrefaciunt, concutiunt, comminantur. Nulla defensionis via invenietur, ut legitima, & naturalis, quam non sint execraturi; sed hæc parum vobis obsunt, ad quos Bulla non accedit, nobis multum, ubi publicatur, & in oculis habetur. Postquam nihil potest reperiri securum ab execratione, ubi defensio aliqua nova instituenda videretur, posset omnibus præponi

F mos

mos Neapolitanus, ubi nullæ Conſtitutiones Apoſtolicæ generales, vel ſpeciales, nullæ Bullæ, Brevia, aut aliæ Literæ, licet ſolum pro concedenda Indulgentia, in aliqua Eccleſia publicari, aut executioni demandari poſſunt, niſi a Prorege primum ſubſcriptæ fuerint, quem morem non intermittunt, licet ſingulis annis excommunicatio in die Cœnæ Domini publicetur. His diebus incidi in Libellum quemdam quæſtionum Joannis Galli Juriſconſulti. Hic ſentit nedum morem eſſe in Francia, ut cauſa poſſeſſoria rei ſpiritualis apud ſœcularem Judicem tractetur; verum etiam, ſi quando intenditur lis in petitorio coram Eccleſiaſtico ſuper titulo, Judicem ſœcularem Eccleſiaſtico inhibere, ne in cauſſa procedat, priuſquam poſſeſſoria coram ipſo terminetur. Hoc ſcire velim, an uſu receptum ſit, & uti fiat. Rogo te, Vir excellentiſſime, ut curioſitatem meam excuſes, ſi nimium petax, & moleſtus videar. Non poſſum aliam etiam petitionem non accumulare. Pervenit ad manus meas Libellus Rhemis impreſſus, continens Concilium Provinciale in eo loco celebratum anno 1583. ſub Ludovico Giuliano Cardinali cum Regis privilegio Henrici III. In eo vidi multa contra libertates Eccleſiæ Gallicanæ conſtituta. Non poſſum non putare aliquid contra ſtatutum per Curias. Rogo, ut de omnibus ſingillatim doceas, & an ſtatuta ejus Concilii in ea Provincia hoc tempore obſerventur. Exſpectatur in Italia prope diem Legatus Mellinus, e Germania rediens, nulla

re

re effecta, novum genus Legationis Romanæ ab aliquibus sæculis. Austria tota tumultuatur, petentibus Sociis Augustanæ Confessionis Sacrorum suorum publicam libertatem: Papa nonnullos ex Nobilibus Romanis captivos detinet, & plures reos Majestatis facit ob exules receptos, unde ibi non satis tota quies. Reliquum est, ut speremus a Divina bonitate eum rerum exitum, quem ejus providentia ordinavit. Ego te, Vir Excellentissime, bene semper valere summopere opto, ac Deum rogo, ut tibi non inutilis servus aliquando fieri possim, Dominoque Casaubono, ac reliquis Dominis, & amicis salutem plurimam dico.

Venetiis 30. Septembris 1608.

## EPISTOLA V.

### AD. EUMDEM.

NIhil profecto nobis magis nocet, Vir excellentissime, quam Confessariorum malorum quidem improbitas, & studium ad rem Romanam quoquo modo amplificandam, bonorum autem præposterus zelus. Et in eo rerum statu sumus, ut de remedio desperandum sit. Ante annum 50. res bene in Italia procedebant. Educatio Juvenum ad Clericatum promovendum nulla publica erat: privatim a paren-

tibus educabantur, & ad domesticam utilitatem potius, quam ad rationes Ecclesiasticorum. In Regularium domibus, ubi studia vigebant, omnis opera erat circa Sententiarum libros; ibi de jurisdictione, & de auctoritate Papæ parum, vel nihil, & præterea cum longum Theologiæ totius studium esset, plures in contemplatione Divinitatis, & Angelorum consumebant ætatem. Modo ex Decreto Concilii Tridentini institutis in qualibet Civitate scholis, quæ Seminaria vocantur, educatio finem publicum augendi rem Ecclesiasticam habet. Accessit, quod Prælati, tum ut expensis parcerent, tum ut zelantes viderentur, curam eorum Jesuitis commiserunt, unde maxima rerum mutatio. In hac Civitate Jesuitæ nunquam Seminarii curam voluerunt; verum Sommaschis tradi curaverunt, qui genus novorum Regularium sunt: a Jesuitis habitu non distinguntur. Prudentissime mones, Vir Excellentissime, & cum meo animo locutus es: Non sunt multæ leges scriptis statuendæ; semper illæ obsunt; potius laconico more moribus sunt inducendæ. Bene ais, semper nocent expressa, praxis est utilissima, dissertatio, & disputatio obest, id a tribus annis semper cogitavi, & prædicavi. Tota Controversia Romanæ Curiæ cum hac Republica inde orta est, quia Leges eas scripsit, quæ nihilominus in aliis Italiæ regionibus, cum scriptæ non sint, moribus tamen servantur. In Tuscia Ecclesiastici nihil rerum immobilium acquirere possunt, non

non quidem lege ulla id prohibente, sed quia olim Cosimus Magnus Dux verbo graviter injunxit Notariis, ne de hujusmodi instrumenta aut testamenta conficerent. Ad hæc quid possunt Ecclesiastici mutire? Cum Venetis altercatio orta, quia Lex scripta fuit; verum nondum quisque modum adinvenire potuit, ut idem in hac Republica agi possit. Tu, Vir Excellentissime, si quid forte menti occurrat, quod profuturum sit, rogo ne mihi scribere recuses. Rerum Europearum is status esse videtur, ut in Italia bellum timendum non appareat, tum quia in Belgio intercidit nedum pacis, sed & induciarum tractatio, tum quia qui cœpere in Germania, motus non tam cito, neque tam facile quiescent, verum etiam quoniam manente Gallica Monarchia non expedit Hispaniæ res in Italia movere. Hæc tamen, quæ nobis prodesse deberent, maxime obstant; hæc nos faciunt negligentes, & futuros incogitantes, dormimus, vel dormitaremus, nisi levis aliquis stimulus, qui excitaret, non adesset, pessime agitur cum quibus arbitrium belli, & pacis Adversarii habent. Sed omnia in manu Dei sunt. Is rogandus, ut ejus divina voluntas fiat. Ego te summopere rogo, ut me semper eadem benevolentia, qua cœpisti, prosequaris, & meo servitio utaris, quo nihil mihi gratius evenire posset. Oro insuper, ut D. Gillot, & Casaubono meo nomine plurimam salutem dicas. Vale..

Venetiis 13. Octobris 1608.

# EPISTOLA VI.

## AD EUMDEM.

QUotidie nos tibi magis debere video, Vir Excellentissime, qui tanta diligentia, & fide rebus nostris invigilas. Profecto possessio Beneficiorum, quæ a Principe traditur, via est acquirendi, seu potius recuperandi, quæ artibus minime bonis, licet pietatis colore, ab extraneis usurpata fuere. Id, quod tibi scripseram, Ministros Principis jus reddere inter eos, quorum alter obtinuit literas possessionis a Principe, & alter reperitur in possessione, non raro evenit, præsertim ubi in Curia Romana (quod aliquando fit) Bullæ in favorem duorum expediuntur, aut quando prætextu alicujus pœnæ privationis ipso jure incursæ a Beneficiario, Beneficium ab alio impetratur, vel aliis etiam de caufis: & licet Dominium hoc non magnum sit valde in Italia, attamen nullum annum credo transire absque aliqua hujusmodi cognitione. Literæ possessionis expediuntur latina lingua, quoniam adhuc in Italia viget mos, ut acta publica ea lingua tractentur, & scribantur. Venetiis usus est Italicæ vulgaris, & in Judiciis, & in actibus publicis, solis exceptis Judicialibus, quæ scribuntur ad Magistratus Civitatum subditarum. Quamobrem & processus in possessorio Beneficiorum extra

Ci-

Civitatem ſcribuntur latine , & more uſitato per poſitiones . Venetiis ſcribuntur Italice , & conſtant duabus ( ita vocant ) Scripturis ad minus , petitione actoris , & reſponſione rei , licetque actori tertia Scriptura aliquid addere , & reo reſpondere , & ſi qua documenta partes præſentare volunt , præſentant ; poſt ambarum Advocati audiuntur , illisque auditis , ſententia ſtatim profertur . Lectis tuis literis decrevi regiſtrum percurrere omnium literarum poſſeſſionis , & ſi quæ ſit inter formulas varietas , quæ tempore irrepſerit , notare ; poſt perquirere aliquos proceſſus Venetiis , & alios alibi actitatos , & omnia ſingillatim animadvertere , & de re tota tibi ſcribere . Nam quod ais tibi videri hæc judicia non eſſe de ſola poſſeſſione , ſed de titulo ; nunquam nobis fuit objectum . Tentavit ſæpe Curia Romana privare nos hoc Jure , verum nunquam uſa hoc prætextu , quod tractaretur de Titulo , ſed alio , quod poſſeſſorium rei ſpiritualis eſt ſpirituale ; & ſi forte lite ſuper poſſeſſorio intentata titulus incidenter allegetur , non propterea cauſa excedit limites poſſeſſorii . Quod ais , maximam vim eſſe in formulis , eaſque eſſe fontes conſuetudinum , ego maxime probo , illiſque mutatis , video mores mutari , ut non ſatis recte dicatur , ſtylum Curiæ non æquiparari Legi , niſi id intelligatur eo tempore tantummodo , antequam conſuetudinem induxerit . Sed ſi locus eſt , ubi facile formulæ mutari poſſunt , hic eſt ex præcipuis ; nam cum Leges pauciſſimæ ſint,

& Judices ex conscientia judicent, sæpe evenit, nedum ut contra cetera exempla definitive proferantur, sed etiam ut interlocutoriæ novæ quotidie emergantur. Quod etiam credo Romæ evenisse, quando Prætor edictum annuum proponebat, præsertim in Reipublicæ primordiis; nam edicto perpetuo confecto, formulæ mansere. Agitur modo de recognoscendis, & ordinandis paucis illis Legibus, quibus forum nostrum utitur. Si id fiat, ut futurum puto, occasio erit faciendi pleraque ex his, quæ mones; tua verba procul dubio in terram minime cecidere; neque tu surdo locutus es; satis adverto, necesse esse magna acturo a minimis inchoare; ea sunt semina, quæ, nullo animadvertente, radices agunt; quæ si quis adulta plantare velit, observatur, & impeditur, non erit facile hoc suadere illis, quos omnino oportet conscios esse; verum, Deo adjutore, omnis difficultas vincetur. Literæ tuæ, Vir Excellentissime, 15. diebus post debitum tempus ad me pervenere; quoniam fasciculus D. Legati non pervenit Lugdunum in tempore. Rogo, ne mireris tamdiu dilatam responsionem; tuas recepi nudius tertius, quarum recipiendarum tempus erat ante 18. dies. Nullas literas majori aviditate exspecto, aut majori voluptate lego, quam tuas; ex illis semper aliquid addisco. Pudet me tibi inutilem servum esse; vellem aliquam occasionem mihi præstari, ut aliquod genus obsequii tibi exhibere possim. In-

Interim cum nihil aliud agere possum, Deum rogo, ut te donis suis cumulet. Vale.

Venetiis 11. Novembris 1608.

## EPISTOLA VII.

### AD EUMDEM.

Binas per hunc tabellarium a te accepi Epistolas, Vir Excellentissime, priorem 22. Octobris, posteriorem 3. hujus mensis, quarum ideo in meis memini, ut scias nullam ex tuis deperire. Ubi in priore tua dicis dementiæ damnandum Pontificem, nisi regnandi potestatem sibi oblatam nostra patientia reciperet, morbum nostrum tetigisti. In hac Italia maxima pars est virorum, qui conquerantur Pontificem non tota potestate sua uti; moventur sane superstitione nonnulli; sed plures propria utilitate. Donat namque Pontifex omnia prorsus Beneficia in Italia reservata sibi per regulas Cancellariæ, quæ in tantum excreverunt, ut jam ordinariis collatoribus nihil reliquum maneat. Quod attinet ad Principes Hispaniæ, qui primas tenent, & Papæ imperant, ejus auctoritatem, quantum possunt, augent, quia per eum generosissimam gentem opprimunt facilius. Dux Allobrogum Franciæ proximus sæpius jure Francico utitur, reliquis Italis res ejus ma-

gna

gna ex parte ignorantibus. Reliqui Principes ab Hispanis pendent, & præterea in familia Cardinales, & Prælatos habent, a quibus pro libito in Ecclesiis agantur. Nos, qui Venetiis ausi fuimus Pontificiam potestatem sub Deo ponere, hæretici habemur, & capita nostra devota sunt. Recte tu quidem, Vir Excellentissime: Stulti essent Pontifices, ni sibi concessa per nostram patientiam arriperent. Unico tamen infortunio utimur, quod cognati, & servi Pontificum potius rei faciendæ, quam eorum potestati amplificandæ inserviunt. Quod ad Senatum Venetum attinet, ne putes illum, ad instar Parisiensis Senatus, lectum e magno Regno, sed e parvo numero hujus Nobilitatis. In eo certe sunt nonnulli excellentis ingenii, & eruditionis; at quandoque major pars meliorem vincit, præterquam ubi omnes vident agi de libertate; tunc namque omnes sapiunt. Humanum ingenium hujusmodi est, ut non ratione, sed usu ducatur, & alicubi nonnulla religiose colantur, quæ alibi, & non sine ratione, digna risu censentur. Ita est: In Italia hæresis censetur, ubi quis Papæ potestatem sub aliqua regula ponere ausus fuerit: quæ non sine mœrore commemoro. Percurri his diebus Philippi Berterii Diatribas, eruditum Auctorem censui, & accuratum, immo judicio meo valentem. Laudaras mihi priorem librum, posteriorem in medio reliqueras. Ego eruditionis nomine utrosque commendo, judicii posteriorem præfero. Verbis suis extollit Pontificis potestatem in Ec-

Ecclesia; at rationibus, & allegatis Auctorum locis in suum ordinem redigit. Mihi visus vir ille summa prudentia viam veritati fecisse, falsitatis prætextu indutæ.

In possessorio Beneficialium modo versor, qua de causa legi Rebuffum in priori tomo Tractat. ad Const. Reg. & in quarto de posses. bebenefic. Ibi observavi fere eadem, quæ tu mihi scribis, nunc isthic usurpari, nisi quod ille concedit, ut læta sententia super pleno possessorio, & ea executioni mandata, solutisque expensis, & interesse, possit agi in petitorio coram Ecclesiastico. Ex quibus mihi videor videre, nos usu quotidie imminuere Ecclesiasticam jurisdictionem, & moribus induxisse, ut quæ Rebuffi ætate usurparentur, modo in desuetudinem abierint. Verum ut ego vestros mores plene teneam, rogo te, ut ad paucas has quæstiones plene respondere velis, quæ licet isthic, ut arbitror, nihil habeant ambigui, mihi tamen non sunt satis perspecta. In primis quæro, si Monasterium aliquod decimas solitas huc usque negare Parochiali Ecclesiæ, ante quem Judicem Ecclesia Monasterium conveniret. II. Si Laicus, jure patronatus solitus ad Beneficium præsentare, jure suo uti impediretur ab ordinario Collatore, qui Beneficium absque illius præsentatione donaret, ante quem Judicem Laicus Collatorem conveniret. III. Si Ecclesia alienationem factam Laico, servatis omnibus solemnitatibus a Jure requisitis, in enormissimam læsionem cedere prætenderet, ubi Laicum pro re-

rescindenda conveniret. IV. Si Ecclesia Laico fundum in Emphyteusim dederit, prætendatque eum in commissum aliqua de causa cecidisse, ubi Laicum Emphyteutam illa conveniret. Quem casum, licet cum priori coincidere videatur, separatim posui, quoniam de Emphyteuticis in Italia sæpe magnæ contentiones oriuntur inter utrasque Jurisdictiones. Rogo te, ut mea importunitate excusata, cum vacaverit duobus verbis ad hoc rescribas.

De Mellino Legato quod rogas, male audiebat apud Romanos, & Hispanos modernus Imperator, quia de subrogando Rege Romanorum, & de aliis quibusdam agendis, pro amplificanda Religione Romana, illis obsequi recusabat. Hanc ob rem Pontifex, Rex Hispaniarum, & alii Domus Austriacæ Principes convenere, ut vi cogeretur ad ea præstanda, & cum Mathias Ungaris, qui ob socordiam Cæsaris juris proprii effecti fuerant, uteretur, id factum fuit, putaruntque Conjurati Mathiam Ungaros subjectos habere, cum illis Mathias esset obnoxius, missusque est Mellinus, ut de plenitudine potestatis conventa perficeret; ille reperit quidem Cæsarem di. . . . . . . non tamen Mathiam rerum potientem, verum Ungaros ipsos. Eam ob causam rediit, & opportunè: nam quæ post sequuta sunt, ostendunt, eum ulterius neque cum fructu, neque cum dignitate in eis regionibus agere potuisse. Nunc in eo statu res sunt. Ungari Poloniæ Comitia Regni habent, electuri Mathiam in Regem, cui has conditiones ponunt,

nunt, ut ante eligatur Palatinus a Comiitis, qui vices gerat Regis absentis, omniaque gerat, ac regat, ut non oporteat ullam ob caussam absentem Regem adire. Ut omnes arces custodiantur ab Ungaris, & præsidiis ejus gentis teneantur. Ut Ecclesiastici omnino ab administratione rerum politicarum arceantur. Ut Jesuitæ in nulla Regni parte admittantur. Ut Austriacis liberum Religionis arbitrium, & publicum exercitium concedatur, liceatque Ungaris, si Austriacorum libertas ab aliquo violaretur, illos armis juvare. Regalis Corona, & alia Regni insignia (horum est maxima in Ungaria religio) ab ipsis Ungaris custodiantur, neque a Rege e Regno, ut olim, asportari possint. Has conditiones subibit procul dubio Mathias, fietque nomine Rex. Comitatus Tyroli sub Maximiliano Archiduce Cæsaris fratre regitur, ubi res Romana viget. Tandem Italia tota, vel dicam rectius, Reipublicæ Dominium a Domo Austriaca circumdatur; quo fit, ut hæc initia etiam nobis aliquid mali minentur, præsertim si in Batavis induciæ erunt, quod cum minime futurum rationes persuadeant, ea quæ Chistianissimus molitur, contrarium credere cogunt; ejus ut prudentissimi Principis consilia esse secreta, ita salubria credimus.

De Rhemensi Concilio optime satisfecisti, ut & de aliis, quæ quæsiveram. Ex ultimis tuis Literis plura didici, quæ hic usui esse possunt. Ea omnino observo, & multa parata habere opto, ut ea forma utar, quæ materiæ induci faci-

cilius poterit. Nunquam tibi satis gratiarum agere potero. Deum rogo, ut debitis a me tibi suis donis faciat satis, quo scribendi fine te valere maxime opto cum DD. meis Gillot, & Casaubono.

Venetiis 25. Novembris 1608.

# EPISTOLA VIII.

## AD EUMDEM.

NUllus mihi scrupulus injectus fuit, Vir Excellentissime, eo quod dixeris, possessoriam causam mixta habere jura proprietatis. Notissimum est, caussas ex libello nomen assumere; si quid postea incidit, illud non mutare. Id exploratum teneo, nedum jura proprietatis in caussa possessoria allegari posse, verum etiam in Beneficialibus necesse esse, ne forte eo absurdi deveniatur, ut quis ad possidendum admittatur absque Canonico titulo. Animadverto eadem fuisse initia, eundemque juris progressum isthic penes vos, quæ apud nos hic, ut primum omnia consuetudinibus, iisque satis rudibus in judiciis agerentur: accessisse deinde tempore, & juris Romani studio polituram, & perfectionem. Papæ Monarchiæ fundamenta restitutione politioris literaturæ quassata sunt; neque mirum, Sub barbarie cœpit, & aucta

est;

est; cum hujus interitu minui primum, inde aboleri prorsus oportet. In Germania, & Gallia, ubi Latinitas revixit, magna imminutio; barbaries in Hispania, & Italia adhuc viget: ibi vix unus Ant. Augustinus, hic paucissimi e sordibus emersere. Inter Jurisconsultos mirum quot apud vos antiquitatis assertores. Nos utinam ad Accursium redire potuissemus! Quotidie legum studia in pejus ruunt; Romana Curia omnem politam literaturam aversatur, sed juris barbariem dentibus, & unguibus retinet; & quidni faciat. Sublatis quippe Libris illis, ubine invenient, Papam tamquam Deum esse, omnia posse, jura in pectoris scrinio tenere, posse omnes ad infernum detrudere, & tandem etiam circulum quadrare? Sublata hac pseudo-jurisprudentia, hæc tyrannis abolebitur; sed ea tolli, nisi hac sublata, non potest. Deus est, qui ambas, cum beneplacitum fuerit, in ordinem rediget.

Epistolam Lipsii videram Francofurtensibus nundinis missam. Vatem illum quidam ex nostris censuerunt; ita præsentem statum prædixit; ego nihil minus: obvium cuique viro prudenti censeo prædicere Rempublicam in bello auctam; & ortam pacis rationes non posse sine periculo amplecti, & eo magis, ubi contra artificia eorum luctandum, qui simplicitate abutuntur. Si antiquissimum Franciæ Regnum pace diu firmatum vix artibus Hispanis obsistit, quid agat Batavorum Respublica, quæ pacem nondum vidit, neque novit? Qui illam vult

sal-

ſalvam fore, nunquam verbis pacis aures præbere debuerat, ſed hoſtes tam probe artibus inſtructos intra ſinum ſuum admittere, & non potius Legatos proprios ad illos dirigere, dementis ambitionis fuit, quæ forte illi libertatem ipſam conſtabit. Ego ſummo cum dolore nihil boni de ea Republica ſpero. Sed illud inter omnia miror, quid fuerit in cauſſa, cur rerum illarum ſtatus nobis ante plures menſes notus vos tamdiu latuerit, qui tam proximi eſtis. Utinam Hiſpanica machinamenta contra ſolos Batavos dirigantur, neque vos reſpiciant; nos enim titulo imbecillitatis tranſmittimur. Ego, Vir Excellentiſſime, ut tibi de iſto literarum commerico gratias ago maximas, ita, ut in ſcribendo perſeveres, rogo, atque tuis mandatis me honores, quo nihil gratius mihi evenire poſſet. Vale.

Venetiis 23. Decembris 1608.

## EPISTOLA IX.

### AD EUMDEM.

ANguſtia temporis, qua premor ob tardum literarum appulſum hac hebdomada, coegit, ut amantiſſimis tuis brevioribus, quam vellem, reſpondeam. In primis maximas tibi gratias ago, Vir Excellentiſſime, quod propo- ſitis

sitis a me quæstionibus satisfeceris. Nunc obiit Commendatarius Abbatiæ Sanctæ Mariæ de Vangadizza Hadrian. diœcesis Ordinis Camaldunel. Id Monasterium ab annis 200. continue commendatum fuit. Habet in redditibus ad 12000.; prætendit jurisdictiones, & directum dominium fere omnium fundorum ejus regionis, quæ Rhodiginus Peloponessus appellatur, adjacetque finibus Ferrariensibus. Respublica petit, ut Monachorum Congregationi tradatur. Pontifex Cardinali Burghes. de more commendare decrevit. Quid futurum sit, nescio, Papam in sententiam mansurum credo. Alii e re consilium capient. Accessit his diebus alia cum Pontifice controversia hinc orta: abusus in hac Civitate inolevit, ut in templorum peculiaribus festis vespertina officia in profundam noctem differrentur: hinc tenebris tectæ meretrices, & impudici juvenes Ecclesias non pro decore tractabant, & sæpe contentionibus, & ad arma veniebatur. Quam ob caussam Magistratus, cui tranquillitatis publicæ cura, vetuit hujusmodi nocturna sacra; & Ecclesias primæ facis tempore claudi mandavit. Clamat Pontifex, esse contra libertatem Ecclesiasticam, & Magistratum excommunicationem incurrisse, laudans quidem edicti materiam, damnans tantummodo, quod Laici Ecclesiasticis præcipere audeant, & conceptis verbis dixit, se velle edictum oppugnare, ne F. Paulus dicat, Pontificis tollerantia jus sœcularibus quæsitum esse. Oh quæ libertas, quæ se ad prophanationes templorum extendit!

abusus nolunt corrigere, si res ipsi permittantur: si alius corrigi curet, ad eum non spectare contendunt. Sed clamet quantum velit, edictum manebit. Ego habeo plura adhuc, quæ edoceri cupiam de moribus vestris; sed per proximum tabellarium differo. Quod ad Orbis motus attinet, Horbec maximus Princeps Mahumetanus, qui ultra Persas dominatur earum gentium, quas ob nigra capitum operimenta dicunt Iefelbas, congressus cum Persarum Rege, ejus copias ita fudit, ut fere deleverit, & imperium in multas regiones protulit; quod licet Turcis gratum, qui magnas molestias in suis finibus a Persa sustinebant, non tamen prorsus eum deleri sustinebunt, ne, eo sublato, fines habeant cum Principe magis metuendo, præsertim quod ille Sedem Sarmarchandæ tenet, unde Tamerlanus exivit, infaustum Ottomanicis nomen. Rogo te, Vir Excellentissime, ut D. D. Gillot, & Casaubono maximam salutem meo nomine dicas, & me solita benevolentia prosequaris. Vale.

Venetiis *6*. Januarii *1609*.

EPIS-

# EPISTOLA X.

## AD EUMDEM

NUmquam tuas literas recipio, Vir Excellentissime, quin experientia ipsa certior fiam, nihil eorum te latere, quæ ad reprimendam Romanensium audaciam faciunt. Dum initio nostrarum Controversiarum de exemtione personali Clericorum ageretur, mihi soli cum omnibus Jurisconsultis Patavinis pugnandum fuit, cum rigidioribus primum, qui Juris Divini esse asserebant, cum modestioribus posthac, qui licet faterentur, cum jure divino non constare, attamen (ut Sotus, & Covarruvias) constanter affirmabant potuisse, & posse Rom. Pontificem propria potestate, invitis etiam Regibus, & Principibus, Clericos in eorum potestate eximere. Mitto quæ insulse respondebant; sed nulla major pro ipsis ratio, quam quod multa exemtionis capita auctoritate Conciliorum Gallicorum & Germanicorum statuta fuerunt, unde a minori argumentabantur, eo magis id ipsum a Romano Pontifice fieri potuisse. His ego respondebam Gallica, Germanica, & Hispanica Concilia, cum a Regibus congregarentur, & ab eisdem proposita tractarent, illorum etiam decreta Regia auctoritate niterentur, & corrigerentur, non modo Ecclesiastica administrasse, & constituisse, ve-

rum & politica multa, & magna egisse, sæpe de Regia successione, de Regia fidelitate, ac aliis multis constituerunt, quæ ad politicam administrationem spectare negaverit nemo. Fuisse ajebam non Ecclesiastica Concilia, quam Comitia Regni. Gavisus sum valde, id etiam tibi perspectum fuisse animadvertens ex tuis 11. Januarii datis. Tota Episcoporum in temporalibus vel rebus, vel criminibus Jurisdictio, quam exercuerunt in Græco, Francico, aut Germanico Imperio, illis a Principibus collata fuit, tanquam Reipublicæ Magistratibus, non velut Religionis Ministris; post Principibus posterioribus superstitione fascinatis, tanquam propria, & Religioni debita fuit usurpata. Nedum in Francia, sed etiam in Italia magna fuit Episcoporum auctoritas, in Ducato Mediolanensi præsertim, ubi in Civitatibus Magistratus Imperiales ipsi erant. Nemo fere Episcoporum in præsenti est in eo Dominio; & in parte Veneta, quæ in Lombardia jacet, qui nunc etiam non se vocet Episcopum, Ducem, & Comitem, quæ nomina huc usque servata rem antiquam demonstrant, qualis fuerit. Soli Veneti eos ab omni administratione politica exclusérunt, nostra bona fortuna; nam si partem aliquam retinerent, actum de nobis huc usque fuisset. Vos servitutem quidem Rom. non servastis; at vestris Episcopis non levem. Ita vobis imperabant, ut sub Regno S. Ludovici IX. tota nobilitas Regni, & Duces Burgundus, Britannus, Angolismen., & S. Pauli coacti fuerunt

fœ-

fœdus inire, ut tyrannidi eorum obviam irent; quod fœdus licet Innocentius IV. muneribus ad Principes, & Beneficiis Ecclesiasticis ad eorum Cognatos, & affines dissolvere tentaverit, duravit tamen, donec ab ipso Rege etiam approbaretur. Neque parva sunt Bertrandi, & alterius socii (non nomen memini) qui non regia auctoritate, sed scripturis detortis, & canonibus defendebant eam jurisdictionem, quam a Regibus datam acceperant. Ex eo vero semper jura libertatis retinuisse videmini, quod statim ab omnibus regi obtemperatum fuit. Quoties ingruentibus abusibus obviam ire volunt Anglis, ego timeo; Episcoporum magna illa potestas, licet sub Rege, prorsus mihi suspecta est. Ubi vel Regem desidem nacti fuerint, vel magni spiritus Archiepiscopum habuerint, Regia auctoritas pessumdabitur, & Episcopi ad absolutam dominationem aspirabunt, & si soli obtinere non poterunt, Papæ adhærebunt. Ego equum ephippiatum in Anglia videre videor, & ascensurum prope diem equitem antiquum divino. Verum omnia divinæ providentiæ subsunt. Diu est, cum scire aveo; an Jesuitæ in Francia doceant, & Collegia Juvenum regant; mihi satisfecisti. Multum est, quod Parisiis docere non permittantur; vellent ubique, sed omnia non possunt obtinere. Quod sæpe rumores spargunt illis restitutam docendi facultatem, non modo spe decepti falluntur, & fallunt, ut ego quidem arbitror, sed falsis hisce rumoribus disponunt animos paulisper, ne eorum conatibus obsta-

ſtatur. Semper fama procedente aliquis remittit mentis vigorem, & ita afficitur, ut ſi vere fiat non diſpliceat. Scio aliis occaſionibus hac arte plures infenſos molliviſſe. Ita faciunt, ſi quid perfici volunt, quod male accipiendum ab hominibus putent. Nolunt communi ſententiæ obſiſtere, ſed falſo rumore numerum inimicorum in primis minuunt. Vide quid modo hic egerint. Catalogum omnium domorum, & Collegiorum ſuæ Societatis Romæ imprimi curarunt in Regalis magni folii ſpecie. Inter ea numerarunt & Collegia, quæ in hoc Dominio poſſidebant, unde ejecti fuerint; ſed illa aſteriſco notarunt, ac in fine hæc verba ſubſcripſerunt: *quæ aſteriſco notata ſunt, nondum ſunt reſtituta*. Cum primum apparuit Catalogus, fremuere multi. Dicebant: *quid igitur tantum audent, ut aperte reſtituenda pronuntient?* Poſt multi remittere iram, atque dicere: *quid mirum, ſi id curaturi ſuam rem agent?* Ego video aliquos olim infenſos iram depoſuiſſe. Aliquid poſt hæc machinabuntur: inde aliud, poſt reſtitutionem tentabunt; verum, niſi Deo volente, aut permittente, non obtinebunt.

Hiſtoriam Bigami Conſiliarii attente legi, & notavi. Utinam controverſia acta, & per arreſtum terminata fuiſſet, verum multum eſt; quod Nuntius ſibi metuerit. Oiſelii carmina nondum mihi viſa magna voluptate recepi ob famam viri; nondum legi; ſed cum primum potero, cuncta percurrere ſtatuo, licet quæ Jeſuitas tangunt, libentius ſim viſurus. Quod ad me

me ea miseris, maximas habeo gratias. Tabellarius ob viarum hiberna impedimenta tam sero ad nos accedit, ut currenti calamo, & sine ulla, qua uti deberem, cura tibi rescribere cogar. Rogo, ut ineptias meas hoc titulo excuses: ego quotidie tibi magis debeo ob ea, quæ in me multiplicas, officia, neque video, quomodo obligationibus, quibus tibi teneor, satisfacturus unquam sim. Rogo, animi promtitudinem pro rebus ipsis accipias. Vale, & sim eadem benevolentia prosequere, & D. Casaubono meo nomine salutem dicito.

Venetiis 3. Februarii 1609.

## EPISTOLA XI.

### AD EUMDEM.

NOn tantum audet hæc Respublica Serenissima, Vir Excellentissime, ut petat electionem Monachis restitui, licet dignum facinus foret. Contra pugnaret Romana Curia, ut pro aris, & focis. Si hoc ageretur, magno usui nobis foret, ut Pragmatica Sanctio, & Tractatus Curiæ Parisiensis ad Ludovicum XI., cujus tu meministi. Illum sæpe vidi, & proximis diebus relegi cum Duareni Opuscolo de Beneficiis. Status præsentis Controversiæ alius est, quem paucis describam. Est in Italia Mo-

nachorum Ordo, qui Camaldulensis appellatur. Huic sunt multa, &magna Monasteria, inter quæ S. Mariæ de Vangaditia in Rhodigino Peloponeso prope Padum in Adriana Diocœsi. Ille Ordo erat sub capite, nempe Abbate Heremi Camaldulensis, ut est apud vos Cisterciensis, & in desolatione Italiæ omnia Monasteria fere habebat commendata, inter quæ & hoc, quod nominavi. Anno 1513. Abbas Caput Ordinis cum aliis 16. instituit Congregationem, quam vocavit Heremi, & S. Michaëlis de Moriano, quæ constaret 17. Monasteriis, statutis ordinationibus, ut Abbates fierent ad triennium, quod a Leone X. confirmatum fuit, & alia Monasteria præter 17. commendata remansere, inter quæ & hoc de Vangaditia. Nunc mortuo postremo Commendatario, petiit Serenissima Respublica, ut ad ampliorem divini cultus decorem Monasterium daretur, & aggregaretur ei Congregationi. Papa respondit, esse offam Papalium Nepotum, sic Italice dicit: *E' un boccone da Nipote di Papa*, & negavit. Licet consentirent Monachi, ut Burghesius haberet omnes redditus, dum viveret, excedunt summam 10000. & alia etiam offerrent, Papa commendavit Burghesio Nepoti, qui etiam per Procuratorem suum furtive & sine literis Principis, ut in more est, possessionem accepit, ut est postea auditum, misso Ferrariensi Notario, qui cum Procuratore Cardinalis furtim, nemine in Ecclesia existente, ingressus attigit januam, & campanulam. Hoc audito Monachus ex ea Congregatione &

ip-

ipse semet in possessionem immisit maxima lætitia, & concursu incolarum, & Missam celebravit Pontificali habitu. Princeps nondum auctoritatem suam interposuit: quod futurum sit, nescitur. Certum est ex his initiis aliquid magni eventurum. Hæc tibi prolixius scripsi, ratus isthic statum controversiæ aliter acceptum fuisse. Princeps Sarmarchandæ, quem tu, Vir Excellentissime, describis, qui imperat Tartaris appellatis Zagatais, cujus imperium maxime extenditur in Orientem, & Septentrionem, nomen Horbec Turcicum est, & significat magnum Dominum, an propria populorum lingua forte Mogol dicatur, ego nescio, ut neque scio; quo nomine populi ipsi appellentur. Turcæ illos appellant Jeselbas ab operimento capitis nigro; ea enim vox significat nigrum caput; Persæ appellant Chiselbas, idest rubra capita. Id, quod scripsi, certum fuit de bello, & victoria; sed post nihil est auditum. Ego te, Vir Excellentissime, maxime valere opto, & mihi occasionem præberi, ut grati animi indicium aliquod ostendere possim: plurimam salutem D. D. Gillot, & Casaubono remitto.

Venetiis 17. Februarii *1609*.

EPI-

# EPISTOLA XII.

## AD EUMDEM.

Binas a te literas per hunc Tabellarium recepi, quibus per partes respondebo. Observasti tu quidem, Vir Excellentissime, quibus rationibus Germania, & Anglia ritus Religionis mutaverint. At nos neque illæ, neque valentiores ullæ ad mutandos inducent. Certas leges & mores licet minus bonos, ferendos tamen, ne mutationibus assueti cuncta mutare in animum inducamur. Scis sacras inter leges Principem locum tenere. Quibus legibus parcendum putabimus, si summas contemserimus? Immo cum Pontificibus hæc nobis contentio, quod illi ritus, & disciplinæ leges quotidie mutare volunt, quas nos manere cupimus, ne status Reipublicæ concutiatur. Unum tibi pro exemplo proferam, ut reliqua conjectes. A Leonis IV. ætate ad nostram usque lecta fuit in Ecclesia Oratio: *Deus, qui Beato Petro Apostolo tuo animas ligandi, atque solvendi Pontificium tradidisti*. Baronio auctore, libri omnes sacri hac in parte sunt correcti, & hoc modo legi volunt: *Deus, qui Beato Petro Apostolo tuo ligandi, atque solvendi Pontificium tradidisti*, voce illa *animas* sublata, neque dissimulant, ab eis actum, quod hæresis sit Pontificiam potestatem spiritualibus claudere, & ad peccata

cata restingere ligandi, atque solvendi potestatem. Dicunt, posse crimina omnia tam spiritualia, quam temporalia solvere. Si hujusmobi cuncta narranda essent, nullus finis. Nos contendimus, ut Ritus, & scripta vetera maneant, illi ut mutentur. Concionatores nostri eorum mandato nova de Papæ omnipotentia, de cœca obedientia, & de utilitate ignorantiæ declarant. Hinc jurgia, quia Fulgentius meus de Christi meritis, de recta in Deum fide, & spe, de cujusque officiis, & de Scripturarum lectione pro concione dixit. Romæ ajunt, & serio, Scripturis inniti nihil aliud esse, quam Religionem Catholicam abolere. Quia Fulgentius dixit, Civilem Magistratum esse Deo probatum, & qui cum fide in eo officium facit, rem Deo gratam, & mercede dignam agere, & Principem, aut Judicem, qui, officio relicto, peregrinationibus, aut recitationibus Ecclesiasticarum precum operam daret, Deum offendere, mirum quas turbas excitarint. Hæc longius enarravi, ut in sinum amici dolores nostros effunderem.

Quæ de insidiis adversum me instructis audisti, vera sunt; neque tamen omnia ad te perlata fuere. Quotidie novi aliquid emergit. Constat sententia, hæc omnia contemnere. Nemo bene vivit, qui de retinenda vita anxius est nimium. Tandem moriendum: quo die, loco, aut modo, parum refert. Scio cuncta fore bona, quæ Deo placita.

Quæ de occiso Tribuno audisti, in majus relata sunt. Res sic se habuit. Fulvius Sarcina-

narius Civis Reatinus occidit concivem suum, adversus quem inimicitias gerebat. Filii Defuncti a Clemente VIII. Breve impetrarunt, quo Pontifex declarat, illis filiis nempe, & aliis quibuscumque licere cum bona conscientia, & ubicumque locorum, & quacumque via, sive judiciali, sive alia quacumque exitum, & mortem illius procurare. Hoc Breve vulgatum est cum scandalo plurimorum, & ut fit, additum a narrantibus, quod plenaria indulgentia occisores donabantur, cum tamen in Brevi aliud non dicatur, nisi quod id fieri possit cum bona conscientia, & absque metu irregularitatis. Brevis Apostolici exemplum habere possum; est authenticum in Publico; sed quia non est ejus tenoris, ut isthic relatum, supersedeo. Si jusseris, statim mittam. Ego neque probo, neque ferre possum, quod tanta possit Pontifex, ut in alterius Principis ditione aliquis possit absque judicis auctoritate cum bona conscientia occidi; tunc enim neque Princeps occisorem punire posset, & id mihi videtur idem esse, ac Papam Dominum, ac Principem supremum facere, quod, ut vidisti, Curia Romana vellet.

In controversia Camaldulensis Monachi cum Romanis nondum Princeps noster se immiscuit. Romæ multa agunt, & cœpta deserunt. Quo tandem res emerget, incertus sum. Verum oportet intra mensem aut omnia componi, aut in eum statum reduci, ut nunquam componi possint. Advocavere ad generalia Comitia Romani Abbates omnes Camaldulenses,

Ces-

Cessionem jurium, si ab eis petierint, procul dubio obtinebunt; verum quod Romanis hoc profuturum sit, non satis percipio. Si contra Monachum, qui est in possessione, aliquid ab eo Capitulo statui voluerint, illi facient; sed quid tum? Nunquam quicquam Romani in hac causa egerunt, quo non implicaverint magis negotium. De his, quæ scripsisti super Aurelianensibus Decretis, gratias ago. Si explicari poteris nomen Civitatis in Delphinatu, ubi electus est Episcopus secundum Decreta Aurelianensia, & nomen electi, & an factum manserit, vel nova provisione Pontificia correctum fuerit, gratissimum erit. Rogo insuper rescribas, an in isto Regno sint Monasteria aliqua conventum habentia de jurepatronatus Regio, vel alterius Magnatis, aut laici, & an in eorum aliquo Patronus utatur jure præsentandi, vel servetur C. nobis de jure patron., & an ullæ sint Domus, vel Conventus Carthusianorum, vel Mendicantium, ubi laici jure patronatus præsentent prælatum. Tandem scire vellem omnes vestros mores, ubi de jure patronatus super Ecclesiasticis Regularium agitur. Scripsit Legatus Principis nostri misisse ad me libros, & Collectiones DD. Gilloti, & Bochelli. Illas avide exspecto, & gaudeo, non tanti fuisse Jesuitas, ut librum integrum abolere potuerint. In aliis literis narras perlatum ad vos libellum, ubi Abbas Camaldulensis jura sua explicat. Hic etiam manuscriptus circumfertur, & ab eo composi-

tus

tus putatur; verum rationes non sunt satis solidæ. Si res ad contentiones publicas emerget, videbis potiora; sed si scires, quibus responsionibus Romani Decretis Concilii, & Privilegiis Monachorum illudant, rideres profecto. Celebrato Tridentino Concilio Pius IV. prohibuit, ne quisquam Glossas in ejus Decreta scriberet, & Congregationem nonnullorum Cardinalium instituit, qui declararent, si quid obscurum, vel ambiguum videretur. Ea Congregatio huc usque durat, & dubia petentibus enodat, ac sæpissime declaratio est contra textum, & Romæ sub declarandi verbo contraria sententia deprehenditur. Decretum de restituendis Monasteriis declarant intelligi de his tantum, quæ nondum commendata fuere. Olim Papam esse supra Concilium defendebant, modo quid refert laborare? Cardinales quatuor sunt supra Concilium specie declarandi. Quod ad vos literis perlatum est, Decreto Reipublicæ missum Abbatem in possessionem, non est verum. Tantum non prohibetur retinere possessionem, quam sponte cæpit; sed, ut scias qua ratione, audi. Nullus provisus ad quodcumque Beneficium a Curia Romana, vel ab Ordinario potest sine ministerio Judicis Laici, cui data sit per Literas Principis facultas, in possessionem ingredi. Soli ab hac lege excipiuntur Abbates temporales, qui a suis Congregationibus ad tempus constituuntur. Hi cum solis Literis Superiorum suorum recipiuntur, quia jam ipsa Congregatio est in possessione, & ita in omnibus

bus Monasteriis Benedictinorum observatur. Hic noster Abbas, ut triennalis, & ut electus a sua Congregatione, prætendit non indigere literis Principis, & ministerio Judicis, sed posse cum solis literis sui Superioris recipi. Ei nemo contradicit, sicque in possessione manet. Princeps videt factum, neque probat, neque improbat, auditurus, si quis contradicere voluerit; quod huc usque non est factum. Romani nolunt coram Principe conqueri, ne videantur foro assentiri. Nemo Abbatis possessionem turbat facto, quia populus illi favet impensissime. Jure nesciunt quo modo, & interim ille fruitur. Si collegerit messem frumenti, quæ non minoris 12000. aureorum valebit, & pauperibus donaverit, quod superfuerit victui Monachorum, actum, unde expelli a Romanis possit.

De Codice Moguntino, quem impressum ad me mittis, maximas habeo gratias: illum summa cupiditate exspecto. Ego familiariter, & absque verborum ullo delectu ad te scribo. Rogo, ut incomposita excuses. Audio Casaubonum valetudinem recuperasse: ego eam ob rem Deo Opt. Max. soteria debeo: rogo te, ut illi, & D. Hotmanno Villerio salutem plurimam dicas. Vale.

Venetiis 12. Maii 1609.

EPIS-

# EPISTOLA XIII.

## AD EUMDEM.

EA est Tabellariorum perpetua negligentia, Vir Excellentissime, ut ego semper raptim tibi scribere cogar. Accepi tuas literas 25. Februarii; ex illis causam animadverti, ob quam Romæ non bene audiaris: tu Clericos ais Magistratibus subdi, præcepto utrorumque Apostolorum Petri, & Pauli. Hoc hæreticum est (ajunt nostri) Scripturas allegare: non sunt hujusmodi Scripturis tractanda, sed decretalibus, & Jurisconsultorum auctoritatibus. Hæc non ironice dico, sed serio; me vocant apertissimo ore hæreticum, quod dicam, exemtos fuisse Clericos a Magistratuum Judicio gratia & privilegio Principum; ceterum quod ad Divinum jus attinet in delictis, quæ Civilia vocat Justinianus, eos a Magistratibus non fuisse exemtos, atque ideo posse quemlibet Supremum Principem Clericos sæculari foro subdere in quibuscumque id necesse fore viderit pro tuenda publica tranquillitate. Quid magis mirere, quam quod Bellarminus dicat, Paulum Apostolum, cum a Festo gravaretur, debuisse Petrum appellare, sed abstinuisse, ne risum moveret? Vade modo tu, & risum, si potes, contine; nam quibus interpretationibus dictorum Pauli ad Romanos nobis illudant, quid attinet referre?

re? Satis est dicere, quod inde probare volunt Papæ potestatem super omnes Reges, & Principes; sed de hoc satis. Fœdus contractum contra Clerum a Duce Burgundiæ, & Comitibus, ac Nobilitate Gallica, quod dissolvere tentavit Innocentius IV. muneribus ad eos, & beneficiis ad eorum affines ad plenum narrat Math. Paris. Hist. Angl. anno 1247., & fœderis capita, quantum recordor, recenset, tandemque meminit, ut D. Ludovicus fœdus probaverit, & ut Rex Anglus eadem in Regno suo edixerit; verum ut mihi meminisse videor, Regis approbatio non statim secuta est contractum fœdus, sed post nonnullos menses, unde & a Math. narratur post multa alia interposita. Ego sæpe ad te scribere aliqua propono, quæ ob instantia, quæ hic accidunt, cogor e mente emittere; modo totus sum in re beneficiaria ob ea, quæ de Monasterio Vangaditiæ aguntur. Senatus nondum quicquam in hac causa decrevit. Abbas a Monachis institutus possidet, Burghesius expellere vellet, attamen litem ei coram Magistratu sæculari super possessorio non vult intentare, sed relicto Adversario in possessione, titulum disceptare intendit, non quidem Abbate citato, verum Procuratore Ordinis Romæ existente, cum quo, ut bene conjicere potero, colludere valebit. Erit negotium, quod forte facillime componetur; verum fortassis etiam in maximas tentationes emerget. Male audit Pontifex, quod omnia nepoti dare vult, & Curia Romana libens videt tantæ felicitati aliquid oppo-

ni; sic invidia locum & inter Sanctos habet. Deus pro sua bonitate nos custodiat; sed vos quando extirpabitis zizaniam, & malas herbas, quas Jesuitæ plantant *a la Fleche* ubi ego audio educari ad 5000. nobilium filios? istud ego vere morbum gallicum appellaverim, nisi bona fortuna vobis favens fuerit, ut nobis; nam ex educatis in eorum Collegiis licet aliqui emerserint acerrimi eorum fautores, plures tamen evaserunt acerrimi inimici. Ego, Vir Clarissime, habeo statuta quædam 1560. a Carolo IX. Aureliani, & alia Blesis 1579. ab Henrico III., scire opto, an illis per alias Leges, vel per non usum derogatum fuerit: in illis, præsertim Aurelianensibus, quædam constituta video de annatis, & aliis Romanis exactionibus, quæ minime isthic servari audio; rogo te, curiositatem meam repleas. Collectionem Bochellii avido animo exspecto, spero ibi plura inventurum mihi usui futura, sed librum, ut audio, primum occultare, post castrare voluerunt: divino, quod Romæ illum sint damnaturi, qui finis est multorum bonorum operum. Quod ais, Vir Excellentissime, Romam ex Hispania maximum pecuniarum acervum asportari, certissimum est. Sed nec reliqua Italia caret Hispanis muneribus: nulla fere Civitas est, ubi non sint ejus Coronæ pensionarii: Venetiis id capitale est, & inde quæstiones habentur maxima severitate. Faxit Deus, ut ab ea corruptione perpetuo eximamur; verum licet aurum Indicum quotannis in Hispaniam fluat, (vera enim

nim

nim dicenda sunt ) summa nihilominus paupertate regna illa conficiuntur. Si Indicum aurum restet, actum de eis: id mutationem aliquando fore pronuntiat, verum non minorem, quod Rex administrationi non incumbit, sine quo aliquandiu, sed non diu fortunari regnum potest. Cum ego audiero, Batavos in Occidentalem Indiam navigationem instruxisse, dicam statim, quieturam Europam ab Hispanicis molestiis. Id Deus faxit. Ego tibi, Vir Excellentissime, pro tanta tua humanitate semper magis ac magis debeo, semperque minus solvendo sum: tibi necesse erit a me animum vice operum recipere. D. Casaubonum salutes velim, cuius literas accepi, & responsionem distuli, donec cum Molino de transitu librorum plene egerim, & valete ambo, Viri Clarissimi, & Amicissimi.

Venetiis 17. Martii *1609*.

## EPISTOLA XIV.

### AD EUMDEM.

CODex Canonum, quem ad me misisti, Vir Excellentissime, nondum ad manus meas pervenit, ut neque tuæ literæ, quibus est alligatus. Ego arbitror eum Librum cum Bochelli Opere ab Illustrissimo Legato missum

per mercatores Lugdunum, ut inde occasione data per Taurinum Bergomum deferretur. Putaveramus, iter illud expeditum fore, verum non ita accidit. Jam enim ad nos pervenere, quæ isthinc per Francofurtum ad nos deferebantur. Vidi Libellum, seu Collectionem inscriptam *Traités des drait*, de qua judicium tuum laudo. Sunt auctores in se collecti, qui non vulgaria sapiunt. *Les Remontrances du R. Louis XI.* latinas videram apud Duarenum, atque Tilleti opus olim impressum; reliqua mihi ignota huc usque. Utinam in majorum vestrorum constantia perseveretis, & Deus nobis concedat, ut vestigia vestra sequamur. Vobis a Jesuitis nonnihil timeo, nobis a nobis ipsis. Non pauci sunt tamen, quibus aut bona mens, aut robur animi non desit. Libellum, quem a me requiris, per partes tibi mittam, ne tabellarius nimium oneretur. Per hunc partem recipies, reliquum per sequentem. Pudet me non esse dignum lectione tua: confido, judicandum a te secundum leges amicitiæ, non veritatis. De publicis rebus novi fere nihil habemus. Dux Lermæ, apud quem Regia potestas est in Hispania, a bello abhorret maxime, neque quicquam illum potest a tanto fastigio deturbare ad bellum, modo Neapolitani Regni curam committit ex Sorore Nepoti, cujus fratrem Legatione Romana adornat. Ab his tota res Italo-Hispana pendebit. Parant vires, ut oras maritimas ab incursione Turcarum defendant, quod non fore difficile arbitror. De rebus Regis Phetza-

ni,

ni, qui a fratre victus aufugit; actum arbitror. Quid speres de eo, qui ad tantam virium inopiam devenit, ut natale solum relinquere cogatur, & ad inimicorum auxilium confugere? Ajunt in Hispaniam thesaurum ingentem asportasse, sed ex gemmis, & unionibus, quæ non magni æstimantur, ubi emtorem quærunt. Sed hic ferunt, Marochi Regem victorem ea loca aggressurum, quæ Hispanus Rex in Africa tenet. Si quid tale evenerit, ego Hispanos maxime implicitos auguror: nam huc usque robore, & ferro nullum bellum gessere, sed artibus, & auro; at Mauritani artibus præstantiores sunt. Si bellum incipiat, non desiturum puto, quin Mauritani mare trajiciant.

Romana Rota sententiam tulit in caussa Monasterii Vangaditiæ inter Datariam, & Congregationem Camaldulensem; sed Congregatio liti interfuit invita, & quia illi neque juri suo cedere, neque jus sibi non esse affirmare, & confiteri concessum, ejus jura per Procuratores, & Advocatos a Burghesiis datos defensa, sententiaque per judices lata, ubi pronunciatum unica sessione, & sine processu Beneficium est reservatum; verum licet sesquimensis abierit, sententia nondum est visa. Papa rescribere in hac causa non concedit. Concutitur totus, ubi de scribendo agitur. Ita illi male cessit in priori controversia. Modo transigere vellet; an id futurum sit, divinare non possum. Multi id cupiunt, pauci abhorrent, plures feruntur inconsulto. Si hæc lis procedat, lata via aperie-

rietur cogendæ intra terminos Pontificiæ omnipotentiæ. Si divini beneplaciti tempus adest, nemo obstabit. Ille nobis rogandus, quem etiam precor, ut te, Vir Excellentissime, suis donis cumulet.

Venetiis 9. Junii 1609.

# EPISTOLA XV.

## AD EUMDEM.

MUlta nunc observantur, quæ nos suadeant, Vir Excellentissime, vel etiam cogant, ut ad rem Beneficialem animum advertamus; inde enim & Romani vires sumunt, quibus nobis dominentur, & nos eam ob rem in partes diducimur. Si vos imitari possemus; vel saltem Hispanos, bene nobiscum ageretur; sed jam in Italia mos obtinuit, ut Pontifex arbitratu suo omnia Beneficia distribuat: plura, eaque majora per regulas Cancellariæ sunt reservata; reliqua, licet pauca, & minora, in sex mensibus vacantia ipse confert, ut Ordinariis nihil fere reliquantur. His obviam ire aperta vi, neque pluribus probatur, neque factu facile. Per cuniculos agendum. Nos eo jure utimur, de quo sæpe tibi scripsi, ut nemo provisus possessionem possit obtinere absque literis Pirncipis. Hoc amplificantes obtinere aliquid pos-

possemus. Longa procul dubio via est; attamen illud potius agendum, quam feriandum. Ego plura mente verso, sed solus quid perspicere possum? Utinam adesset hic vir tui similis, quocum pertractare hanc ipsam rem possem. Sperarem aliquid inveniri posse, cujus fructus brevi conspicerentur. Postquam id mihi negatur, rogo, ut absens nos juves. Mitto ad te formulam Literarum Principis, quibus in possessionem provisos mitti mandat, & rogo, ut illa examinata videas, an quicquam addi possit, quod aliquo jure nitatur, & instituto nostro faveat; verum id paucissimis verbis fieri oportet, & ita, ut qui Curiæ favent, id non advertant, vel contra pugnare non valeant; nobis enim non tantum cum hostibus, sed aliquando & cum nobis ipsis pugnandum est. Deinde rogo, ut si quas rationes habes, quibus leniter reservationibus resistere possimus, si non omnibus, saltem aliquibus, eas nobis impertiri velis. De Monasterio Camaldulensi nunc serio agitur, & ad crisim morbus venit: nunc vel Curia Reipublicæ, vel hæc illi cedat oportet. Ego Reipublicæ victoriam auguror; fovet enim justam, piam, ac etiam speciosam caussam, recusatque Monasterium id commendari Nobili alicui, ut Curia offert, & omnino Congregationi Camaldulensi relinqui postulat. Quid juris sit in hac caussa sententiam tuam, Vir Excellentissime, scire opto. Facti series est talis.

Fundatum fuit Monasterium anno 994. Cœpit Ordo Camaldulensis anno 1012. Quonam mo-

modo Monaci ejus Monasterii Camaldulensis effecti sunt, nescitur; sed hoc certum est, Alexandrum IV. anno 1258. supposuisse omnia Monasteria ejus Ordinis Priori Camaldulensis Heremi per Bullam, quæ adhuc extat, in qua omnia Monasteria singillatim nominat. & inter illas hoc, de quo agitur. Vixere Regularibus institutis Monachi cum Abbate per Capitulum electo, & per Priorem Heremi confirmato usque ad annum circiter 1400. quando tunc primum commendatum fuit, post quod semper Commendæ subjectum usque in præsentia mansit; nominatum tamen semper fuit in Bullis Monasteriorum Camaldulensium. Anno 1513. Leo X. erexit Congregationem ejus Ordinis, quæ appellatur Heremi, & S. Michaëlis, cui univit 17. Monasteria ejus Ordinis, qeorum quædam in Commendam, quædam in Titulum tunc tenebantur, cum Decreto, ut cum primum vacarent per cessum, vel decessum, statim Congregationi unita esse intelliguntur, etsi in eis constituerentur Prælati, non perpetui, sed triennales. Ea Monasteria nominantur specialiter. Inter hæc nominatur illud, de quo agimus. Hæ uniones effectum sortitæ sunt, & Congregatio jam obtinet 17. Monasteria. Addit Leo, ut reliqua ejus Ordinis Monasteria, cum vacaverint, huic Congregationi effectualiter aggregentur. A præfato anno 1513. usque in præsenti Monasterium, de quo agitur, bis vacavit per mortem, aut resignatione, neque a Congregratione quicquam tentatum est. Tandem

1608.

1608. functus vita fuit ultimus Commendatarius: Prior Generalis Congregationis homo Etruscus, qui Venetiis tunc forte aderat, sponte in eo creavit Abbatem juxta formam Constitutionis Congregationis. Interim fuit rogatus Pontifex a Senatu, ut jurium Congregationis rationem habere vellet. Negavit omnino Pontifex id velle, quoniam Monasterium illud, ait, bucella, vel bolus est ( Italice dicimus *boccone* ) pro Nepote Papali, & Monasterium Nepoti suo commendavit, qui tamen possessionem a Senatu de more non petiit. Post hæc Abbas constitutus adiit Principem rogans, ut illi liceret possessionem adipisci. Respondit Princeps, nolle se hac in re juri cujusque derogare. Subjunxit Monachus, id a se petitum, ut omnem reverentiam Serenitati suæ exhiberet; ceterum more Reipublicæ non consuevisse tradi Abbatibus, qui sunt in Congregatione, possessionem per literas Senatus, sed illam ad eis apprehendi solis literis Collationis Superiorum; quapropter ille possessionem adipisci optat solito more, si a sua sententia non prohibeatur. Dixit Princeps, ut nullius juri in causa derogatum vult, ita neque juri Congregationis, si quod habet, præjudicium ullum inferre intendit. Hoc responso accepto Monachus abiit, accepit possessionem, receptusque fuit ab omnibus, qui Monasterio subsunt, & ita administrat huc usque, ut Abbates Monasteriorum aliorum Congregationis suæ. Curia pretendit, hoc Monasterium illi non deberi, quia solitum commendari,

ri,

ri, quia ob Commendas jam affectum est, quia per regulas Cancellariæ reservatum. Congregatio prætendit vigore privilegii Leonis, de quo supra, ipso jure unitum sibi esse, & ideo potuisse Generalem Abbatem instituere. Est alia opinio media, quæ sentit affectum quidem Monasterium; attamen ob fundationem, & ob decretum Concilii Tridentini sess. 25. c. 21. non posse Pontificem illud commendare, sed teneri: ut in Titulum reducat, atque ob id privilegium Leonis Congregationi incorporari, & uniri debere. Is rei status. Plures diserti viri sententiam dixerunt. Ego tamen, Vir Excellentissime, te omnibus prælaturus sum. Ex lectione Opusculorum, quæ prodiere de Gallica libertate in unum volumen congestorum tactus sum curiositate videndi eam protestationem, quæ in Congregatione Prælatorum decreta est ad Bullam Gregorii XIV. qua jussi eramus a Regis obedientia discedere. Illam olim vidi, sed non iis oculis, quibus visurus sum modo. Rogo te, ut curiositatem meam impleas. Id etiam exopto scire, si quando feruntur ad vos Bullæ Papales, quas recipi Senatus censet, cum tamen in illis sint clausulæ, quæ non placeant, ut quia contra Ecclesiæ libertatem sint, an e Bullis ipsis cancellentur, quæ non admittenda censentur, an vero arresto ipso, quo recipiuntur, notetur clausula, quæ rejicitur, ac libens viderem exemplum arresti alicujus, ubi Bulla Papalis partim fuerit recepta, partim rejecta. Ego scribendi nullum finem facerem, & imprudens

dens sum, qui tam longis literis te detinuerim. Monet paginæ finis, ut meis nugis illum imponam: te rogo, ut me excuses. Vale, & amantem tua benevolentia prosequere.

Venetiis 25. Junii 1609.

*Nobilibus, & Sapientibus Viris N. N. Potestati, & Capitaneo Civitatis nostræ N. & Successoribus fidelibus, & dilectis.*

Vacante Ecclesia Cathedrali istius Civitatis per obitum R. D. N. N. Episcopi illius ultimi possessoris; modernus Summus Pontifex illam contulit N., sicuti constat ejusdem Summi Pontificis literis patentibus, Bulla pendente munitis, datis apud S. Petrum die,..... mensis..... anni .... Quare mandamus vobis, ut ejusdem N. Episcopum; sive ejus legitimum Procuratorem poni faciatis, & positum conservetis in tenuta, & Reali possessione Ecclesiæ præfatæ, cum resp. omnium fructuum, & redituum ad illam spectantium, & pertinentium. Verum si quid habeatis in contrarium, supersedete, & ad nos rescribite; neminem in possessione cum literis nostris amovendo. Has autem registratas præsentati restituite.

C'est touchant cette formule de mettre en possession, qui est ecrite la lettre de F. Paolo du 25. Juin 1609. auec la longue reponse de Mon. Lescassier.

EPIS-

# EPISTOLA XVI.

## AD EUMDEM.

Redditæ mihi fuerunt literæ tuæ, Vir Excell. 30. Maii datæ, quæ cur tamdiu cessarint in itinere, valde miror; locorum distantia id solet efficere. Libri, quos ad me misisti, cum aliis nonnullis missi sunt Lugdunum ab Illustrissimo Legato, ut inde per Vectores in Italiam portarentur; illos nondum recepi, sed Taurinum appulisse certus sum; licet sero, tamen tuto, & desiderati advenient. Ego ad te misi, quem petieras, libellum per tres Tabellarios; recepisse credo: mitto ad te nunc exemplar Pontificii Brevis, de cujus veritate ne dubites, ego authenticum in has manus habui, unde & exemplar desumpsi; verum eo res pervenit, ut hæc non clam a Romana Curia fiant. Vobis, qui abestis, hæc magna videntur, nobis quotidiana sunt. Pontifex tot beneficia partim in titulum, partim in commendam, aut etiam pensionis nomine contulit Cardinali Burghesio nepoti, ut quæ habebat jam ante duos menses, 140000. aureorum reddant, post quod tempus quantum addiderit, nondum scio. Ad Monasterium Vangaditiæ, de quo controversia, tanto conatu aspirat, ut ego tandem obtenturum mihi persuadeam. Scis, humana ingenia acrius tendenti cedunt. Hi mores adeo in præceps ru-

unt,

unt, ut speranda sit valetudo ex morbi magnitudine, si non sequatur interitus. Mea ætate Pius V. in annos quinque nepoti Cardinali contulit 25000., Gregorius XIII. annis 13. duobus nepotibus contulit, uni 30000. alteri 20000. Sixtus V. nepoti unico 9000. Clemens VIII. annis 13. duobus nepotibus, alteri 8000., alteri 3000. Hic quatuor annis uni dedit 140000. Quo igitur res perventura est? Deus aliquando viderit. Constat singulis hebdomadis afferri ad Pontificem in cistis duabus eas pecunias, quas Datariæ, & Cameræ Officia lucrantur; eas Pontifex manibus versat, & visu, & tactu voluptatem capit; postea ad Joannem Baptistam fratrem perferri mandat. Hæc missa faciamus. Maxime miratus sum id, quod scribis, a Patronis Laicis conferri Beneficia pleno jure, idque statutum arrestis: ego ea videndi summo desiderio teneor. Est mihi collectio Paponii, citoque aderit & collectio Bochellii; rogo te indigites ubi, & sub quibus titulis apud hos auctores reponantur. Bochellum nondum legi, Paponium percurri; sed ut fit præsciri oportet, quod quæritur, alias non observatur. Liber Regis Angliæ ab eo ad hanc Rempublicam missus fuit. Omnia egit Pontifex Romæ, ut Nuncius ejus hic non reciperetur, sed receptus fuit. Liber vero regius est; sed vellem illum politica exactius, prophetica vero perfunctorie tractasse. Verum ii sumus; nostra negligimus, in alienis excellere volumus. Tandem hoc magnum est, quod Reges scribere (utinam & addiscere) inci-

cipiant. D. Casaubono, rogo te, salutem meo nomine plurimam dicas. D. Ottmannum Villerium abesse in Clivensem regionem audio; ea de causa ad illum non scribo; si reversus fuerit illum plurimum saluto. Vale, Vir Excellentiss. & me solita benevolentia prosequere.

Venetiis 21. Julii 1609.

## EPISTOLA XVII.

### AD EUMDEM.

Literæ tuæ 14. Julii datæ maxima molestia me liberarunt. Licet enim D. Castrinus per præcedentem Tabellarium de recuperata a te valetudine monuerit; attamen hærebam, veritus, ne recidivam aliquam incurreres. Nunc Deo Opt. Max. gratias ago, quod nobis Te redditum esse incolumem ex manus tuæ chirographo perspicio. Gratissima fuere glossemata, quæ ad formulam addidisti; nondum illa perlegi aliis negotiis valde occupatus. Controversia de Monasterio Camaldulensi transactione componetur, & in eo nunc totus sum; quæ de ea causa ad me scribis, maximis, & solidis fundamentis niti videntur. Sed utinam jus solum in hujusmodi locum habere! immiscentur rationes privatæ, odia, invidiæ, & aliæ pestes veræ æquitatis, quæ homines in transversum adu-

ductos, a veritatis cognitione avocent. Sed hæc Deo curæ erunt. Quod ad me scribis de munificentia Principis aliqua obtinenda, in eo diligenter incumbam, & sedulam curam præstabo; non est, quod desperemus de effectu; ego, cum primum de possessorio Beneficii alicujus controverso agetur, de te mentionem injiciam opportunam, eaque occasione curabo, ut aliquid scribi, vel in ea materia, vel in alia tibi demandetur; quod si eo rem perducere potero, vicerimus; ne putes me operæ, vel diligentiæ parciturum, neque occasionem prætermissurum: illas recipiam sponte oblatas, & non oblatas vi cogam. Per sequentem Tabellarium tuis literis fusius respondebo; interea pro salute tua voti reus Deo soteria persolvam. Vale, Vir Excellentissime, & te diu incolumem nobis, & valentem serva.

Venetiis 18. Augusti *1609*.

## EPISTOLA XVIII.

### AD EUMDEM.

PErlegi Commentarium tuum, Vir Excellentissime, ad mandatum Principis nostri quod ad te miseram. Quæcumque observas, & quæ in melius reformanda mones, mihi maxime probantur. Respublica non habuit unquam col-

collationem Beneficiorum omnium, sed tantummodo Episcopatuum; neque in eis aliud erat jus, præterquam nominandi, instituendi a Pontifice; id jus cum vi, & bello amisisset, potestatem tamen tradendi possessionem retinuit; quam pace modo amitteret, nisi a paucis quibusdam mordicus retineretur. Diversitatis caussa, quia tunc plurimæ lites in possessorio; cum Curia Romana soleret omnibus petentibus, & solventibus Bullas concedere, unde sæpe idem beneficium pluribus concedebatur, in Curia, & plerumque inter provisos a Curia, & ab Ordinariis lis erat; accedebant exspectativæ, maxima controversiarum materies. Post Concilium Tridentinum omnia correcta sunt; sublata sunt exspectativæ; nunquam Bullæ expediuntur quacumque de caussa pro secundo Impetratore. Si forte Pontifex, & Ordinarius, quod raro evenit, idem beneficium conferant, provisus ab Ordinario cedit, vel antequam possessionem petat, jus suum Pontifici insinuat, nec quicquam aggreditur, nisi Pontifex literas suas prius revocaverit, hincque nullæ lites in possessorio. Sunt ex nostris, qui putent, non valde curandum, ut a Laico Magistratu possessio tradatur, quia absque ulla controversia semper traditur. Ad ea, quæ de Concilio Tridentino rogas, uno verbo dicam: ne putes vel Apollinem ipsum posse ex Concilii verbis praxim divinare. Cum publicatione Concilii emanarunt literæ Pii IV., quibus prohibuit quicquam pro Glossemate, aut explicatione Concilii scribi, erexitque Congrega-

gationem Cardinalium, quibus solis jus explicandi & interpretandi tribuit; hinc factum est, ut neque Doctores, neque Judices hiscere audeant, cum Dei verborum intelligentia lis oritur, sed ad Cardinales recurratur. Illi pro libito declarant; fere omnes declarationes contrariæ sunt textui, ut Glossa decreti: *distinxit.. conjunxit*: & Decretalis: *non potest . . non vult*: & quod magis mirere, ipsæ declarationes inter se sæpe contrariæ sunt, idque excusant, quod non sint universales, sed in propositis casibus, qui etsi similes videantur, ex circumstantiis tamen diversæ sunt, atque ita non mores Concilio, sed hoc illis attemperant, & non lege scripta, sed proprio arbitrio cuncta regunt. Illius Congregationis institutio magnum fuit arcanum, quo res Romana regitur, cum quid fieri volunt, statim quicquid illud sit, nomine Concilii interpretati nobis obtruditur. Non est necesse, si quid difficultatis oboriatur advocare ex provinciis eos, quorum interest, neque illos audire. Nam Concilium, ubi id statuit, addit hæc verba: vel commodiori quacumque ratione ei (idest Pontifici) visum fuerit: quibus Reges & Regna elusit. Cui enim dubium, quin ratio commodior Papæ videatur paucis Cardinalibus uti, quam e provinciis aliquos, præsertim quorum intersit, evocare? Ad hoc genus pertinet Pii IV. prohibitio, ne Principes quicquam pro executione Concilii edicant; id ajunt non esse contrarium Decreto Concilii, quo monuit Principes, ut operam præstarent, quo sua decreta

reciperentur, & observarentur; sed esse declarationem, ne Principes suam operam præstarent quicquam edicendo, vel statuendo, sed tamquam meri ministri exequendo absque ulla cognitione. Quod quæris, an quod reservavit Concilium Sedis Apostolicæ potestati, de ea dixerit, quæ est in ædificationem, vel quæ in destructionem, hic etiam latet arcanum, de ea dicetur tantum, quæ in ædificationem, sed putas tu subaudiendi animarum? minime, verum nummorum. At extra jocum, procul dubio in ædificationem, sed ad ipsum spectat declarare quod sit in ædificationem. Unde eo res redit: vel reservata tantummodo potestate in ædificationem sit reservata exorbitans omnipotentia. Non credis semper Papam suis edictis, & dispensationibus obtendere causam aliquam pietatis, & ædificationis, & quæstum appellare pietatem, & contra sentientes hæreticos censere? Qua alia via potuisset 150000. aur. nepoti suo de Beneficiis Ecclesiasticis tradere, cui pro servandis Bullis jam arca, aut scrinia non sufficiunt, & conclave deputatum est? An Respublica juraverit in omnia verba Concilii, rogas. Dicam: Tunc, quando Concilium publicatum fuit, Pontifice petente, Princeps scripsit omnibus Magistratibus, ut Prælatis publicantibus, & exequentibus decreta Concilio auxilio essent, & contradictores compescerent, nihilque aliud Princeps vel dixit, vel edixit de hoc Concilio. Augustini Hunnæi editio cum notis in margine ad nos pervenit Antuerpiæ edita. Audio,

&

& credo, non damnaretur a Romanis, licet nunquam illam viderim, & citata loca haberentur pro concordantiis, non ita ut illa ad usum revocarentur, ut antiquitus observabantur, sed neque ea, quæ in ipso Concilii textu citantur declaratione Congregationis ad usum præsertim Curiæ commodum omnia attemperarentur. Uno verbo concludam: Ajunt Papam supra Concilium esse, derogare omnibus quorumcumque Conciliorum decretis posse, licet non sit necesse, quia declaratione idem præstari potest. Integer liber non sufficeret, in quo omnia tibi scribere possem: unum tantum dicam c. 21. sess. 25. de reg. ubi de commendatis Monasteriis redigendis in titulum decernitur; Congregatio declaravit de his intelligi, quæ non sunt solita commendari. Vade modo tu, & verbis innitere. Ita defendunt, nihil adversus Concilii decreta egisse Pontifices, qui his 50. annis nullum Monasterium commendam, cessante commenda, in titulum concesserunt, at de his satis. Meministi in tuis literis, Vir Excell., erectionis Universitatis Rhemensis, Pontificiæ concessionis, & arresti ad eam; harum rerum meminit Pasquerius in suo libro, (qua occasione non recordor) & refert super clausula illa generali, qua Papa absolvit a Censuris ad effectum & C. arresto cautum, ne propter eam clausulam concludi possit, Regem a Papa excommunicari posse, illud arrisit maxime. Si alia in eo arresto continentur, oportet digna esse observatione: si nancisci poteris, mihi erit

gratissimum. Edictum regium de duellis habeo; & decretum præferens Fiscum Creditoribus hypothecariis miratus sum; verum arrestum ad edictum ad nos perlatum non fuit; sed solum ipsum edictum nudum: sed ex his, quæ tu narras, animadverto quomodo arresto Parlamentum corrigat, ut ita dicam, errores Regii Concilii, sed id miror, quod opus fuit; non potuit edictum ante Regiam manus appositionem videri, examinari, & corrigi, ac post a Rege subscribi? sed forte stylus vester sic habet. Nunc mihi intelligere videor, quæ sint partes Parlamenti. Ego scribendi finem non facerem, tanta cum voluptate tecum colloquor, nec molestiæ me ipsum moneo; unum tantum dicam de libro inscripto *Tortura Torti*; commendari illum audivi, nondum vidi, cito videre spero, illum avide lecturus. Cum a te, & a D. Casaubono laudetur & argumento & stylo & subjecto, perfectum esse oportet. Quòd stylo dixi utatur, mihi videtur ad perfectionem accedere, nec enim joci seriis misceri cum decore possunt, nisi eo dicendi genere. Adhuc finem facere non possum, succurrit aliud tibi dicendum. Perlatum ad te fuit petere Regem Hispaniarum a Pontifice, ne pensiones pro Jtalis super Beneficiis Hispanis imponat. Non ita prorsus res se habet. Antiqua lex regia in Hispania est, quæ ut viridi observatione semper valuit, & valet, ne Beneficia in illis Regnis, vel pensiones super Beneficiis conferri possint aliis, quam Hispanis, quos illi nationales dicunt.

cunt. Valeant. Curia Romana sophisma adinvenerat. Pontifex constituebat Italo Pensionem in caput Hispani alicuius degentis Romæ, & huic rei consentientis. Id passim fiebat, & erat aliquis Hispanus, in cujus caput erant pensiones pro diversis multorum millium Ducatorum. Modo Legatus Regius modernus nepos Ducis Lermæi dixit Pontifici, Regem nolle ultra eam fraudem fieri legibus suis; ita se habet. Puto Romanos aliud sophisma inventuros, quo idem efficiant: nam carere pensionibus non ferent tam facile. Reliqua, quæ de possessione ad me scribis, diligentius perpendam, & si quid occurrerit difficultatis, molestus ero D. Casaubono, rogo, meo nomine plurimam salutem dicito, & me eadem benevolentia prosequere. Vale.

Venetiis die 1. Septembris *1609*.

## EPISTOLA XIX.

### AD EUMDEM.

Tandem pervenit ad me exemplar Codicis Moguntini isthic impressi, quod ad me misisti, Vir Excellentissime, de quo maximas ago gratias. Vidi & schedulam tua manu scriptam, ubi librum Contareni cujusdam petis, de miraculis, aut mirabilibus inscriptum, quod

mihi zelotipiæ affectum quemdam excitavit: Vellem, ut neminem, ficut hic habes, qui te magis obfervet, revereatur, & diligat, quam ego & ago, & debeo; ita alterius opera minime utaris, ubi ego tibi infervire valeo. Nihil mihi accidere jucundius poteft, quam fi tibi fervus non prorfus inutilis appaream. Rogo te obnixe, fi quos libros hinc petis, a me poftulare velis. Nullus eft Contarenus, qui de miraculis fcripferit. Vivit adhuc Nicolaus ejus familiæ ampliffimus Senator, qui adolefcens fcripfit de perfectione rerum: liber eft veluti Philofophiæ compendium, aut fumma. Si forte illum expoftulas, ftatim habebis.

Accepi tuas literas 8. Septemb. Video, te totum effe in concilio Tridentino commode interpretando; fed in eo non eft, ut in reliquis legibus agendum, in quibus interpretandis nihil aptius, quam procemia exacte perfpicere, ex quibus ftatuendi ratio & occafio cognita fenfum & mentem legislatoris aperit. Secus in Concilio Tridentino; nihil longius trahit, quam procemiorum confideratio. Eorum in Italia nulla cura. Ego adolefcens rogavi Archiepifcopum Roffan., qui poftea fuit Urbanus VII., & ei Concilio interfuit, componendis Decretis præfectus, quid effet in cauffa, cur contra morem præfationibus Decretorum Concilii narrationes, & conclufiones vel contrariæ effent, vel faltem non concordarent. Refpondit ille, Decreta formari folita fibi ipfis omni ex parte fimilia, quæ ficut reformationem initio proponebant, ita

ita in fine ſtatuebant ; verum dum in Congregationibus Tridenti , & Romæ rependebantur, præfatio omnibus arridebat , illa nemini erat moleſta ; ſed ex Decreti corpore oportebat tanta tollere , vel addere , donec omnibus ſatisfactum eſſet . Mihi maxime probantur interpretationes tuæ ; attamen cavete vobis , ne Concilium illud recipiatis ea ſpe , quod ad bonum ſenſum trahi poſſit . Quod ad reſervationes attinet, Romana Curia id vult pro Fidei articulo haberi electionem ſeu Decreti , ſeu Decretalium permiſſam fuiſſe a Romano Pontifice olim ob duritiam cordis ( utar verbis Evangelii ) populorum, & Cleri ; optimum tamen modum eſſe per ſolam Pontificis collationem. Nihil hyperbolice dico : Si quis in Italia diceret, melius fore Eccleſiis providere per electionem Cleri , & Populi , aut Canonicorum , hæreticus haberetur . Memini quemdam ab Inquiſitore caſtigatum , quod dixerit , neminem dandum Paſtorem invitis . Ubi Concilium Tridentinum ait, aſſumendos paſtores ſecundum Canones, exponunt quod attinet ad qualitates aſſumendorum , non autem ad modum aſſumendi . Ne putes, Vir Excellentiſſime , Venetam Rempublicam inhiare nominationi Sacerdotiorum ; immo prudentiores vellent rogari legem, ne aliquis Senatorii Ordinis poſſit ulla de cauſſa ad Clericatum tranſire , cui rei id ſolum obſtat, ne Pontifex novas turbas excitet cum ſua libertate Eccleſiaſtica . Utinam vellent Eccleſiaſtici hujus Dominii controverſiam Curiæ

Romanæ movere de Beneficiorum collatione! jam res acta esset. Principis favor illis non deesset. Non eo sunt animo. Ita servitio sunt assueti, ut eos oderint etiam, qui de recuperanda libertate loquuntur. Mihi crede. Si quis electionem restituere vellet, nullos magis adversarios ipsismet Clericis experiretur. Exemplo sit Camaldulensium Congregatio: Eorum caussa a Republica sustineri nequivit, quoniam Congregatio ipsa tota prius cessit cuicumque juri suo. Post cum Pontifex nec propterea illis redditus fuerit placatus, fassa est, se jus nullum habere, vel unquam habuisse, mandavitque sæpius Monacho, quem Abbatem creaverat, ut e Monasterio veluti intrusus discederet. Quid egisses in hac caussa? Quomodo fovisses eum, qui se jus nullum habere profitebatur? Ad transactionem ventum est, ne videretur, Romanum Pontificem sustinere caussam iniquam eorum judicio, in quorum favorem fovebatur. Ad res nostras. Ego totus sum in formanda uberi materia possessoria Beneficiorum. Plurima mihi se objiciunt. Non tamen despero; quod si conatus non reddatur irritus, inde forte erit transitus, data opportunitate, ad enervandas reservationes: ingens alea; sed in humanis voluisse satis. Ego legeram apud Pasquier 3. lib. c. 12. arrestum 1519. Quod ad primum ejus caput attinet, miratus solertem curam Parlamenti, quod neque leves suspiciones neglexit; licet, ut verum fatear, absolvere Regem a censuris est illum subjectum definire.

Mo-

Modo ex exemplari, quod ad me misisti, video usitatum morem apud vos obviandi novitatibus, & maxime probo. Scribendi finem nunquam facerem, nisi tibi molestus esse timerem. Nunc Deum rogo, ut te diu servet incolumem, teque oro, ut me solita benevolentia prosequaris.

Venetiis 29. Septembris 1609.

---

# EPISTOLA XX.

## AD EUMDEM.

Significavit nobis Illustris. Foscarenus Legatus libellum Contareni a te expetitum eum esse, qui a Nicolao Contareno, nunc Senatore amplissimo, in adolescentia emissus fuit. Illum ego expiscatus sum, & his literis alligatum mitto, neque omittere possum, quin addam auctorem nolle inde aliquam conjecturam fieri de ejus ingenio, & doctrina; ita altioribus & utilioribus studiis animum applicuit post adeptam virilem ætatem. Mihi gratissimum est, quod tantum virum ames, & observes, cui ego ante 40. annos amicitia puerili junctus, nunc conjunctissimus vivo: ille me anno minor est, sed doctrina, & prudentia maxime excedit. His diebus quæstio nobis obtigit super C. Romana SS. debet de appellat.

in

in VI. cujus occasione scire summopere cupio, an Archiepiscopus nunc castra aliqua possideat cum Jurisdictione, & an appelletur ab eo ad supremam Curiam; & an castra illa (si quæ tamen nunc obtinet) nomine feudi, an vero titulo simplicis & puræ donationis possideat; & an alii Episcopi, vel Abbates in Galliis temporalem jurisdictionem habeant in præsens. Scio quid ea de re dicat Benedictus in C. Rainutii detectam; quoniam sæpius res mutationes subeunt, scire vellem, quid modo observetur: & si forte exemplar nancisci possem alicujus Regiæ donationis, antiquitus concessæ Episcopo, aut Abbati in Francia, quæ tamen libera donatio esset, & non infeudatio; mihi summopere gratum, & utile foret. Hic nihil habemus novi; silent omnia; Pontifex, qui videbatur Reipublicæ infensus, nunc maximam benevolentiam ostendit, & perpetuam omnes fere ominantur. Verum in Hispania rem aggressi sunt arduam maxime, ut e Regnis ejiciant, & Africam transferant quotquot sunt generis Maumethanorum. Mirum mihi summopere, quod ad Religionem attinet, qui baptizatos, licet forte non satis credentes, transvehere audeant in loca infidelia, ubi procul dubio & nomen, & professionem Christianam exuent: deinde numerum expavesco; non enim agitur de decem, aut duodecim millibus, sed de ducentis millibus. Utinam hæc non sit medicina contra morbum quidem efficax, sed viribus ægroti superior; Turcarum Princeps jussit obtruncari

cari plures rebelles, qui obtenta venia ad eum venerant; quod an aliis terrori futurum sit, ut desistant, vel documentum constantiæ, ne fidant, incertum. Ego Deum precor, ut tibi, Vir Excellentissime, omnia prospera largiatur, & mihi vires, ut in tuis obsequiis aliquid possim. Vale.

Venetiis 10. Novembris 1609.

## EPISTOLA XXI.

### AD EUMDEM.

HYemis injuria tardius ab me perlatæ sunt literæ tuæ 2. Novemb. datæ; illas 16. hujus mensis recepi, qua die Tabellarius hinc isthuc discessurus erat, quamobrem neque ad respondendum temporis satis habui. Accepi simul ultimam partem observationum Jureti ad Ivonis Epistolas, quæ mihi visæ sunt nedum lucem authori afferre, sed, quod magis æstimo, statum Ecclesiæ ejus temporis ob oculos ponere. Romanis non erunt valde gratæ, ut quæ Baronii historiæ non conveniant, qui quintus Evangelista prædicatur, & creditur. De Beneficialibus ne mireris, quod dixerim fere nullas lites agitari; nam omnes controversiæ olim excitabantur duabus potissimum de caussis; prima ob mandata de providendo; secunda quod Dataria concedebat

bat beneficia omnibus petentibus, & vacare afferentibus, neque Papa, aut Datarius se admiscebant litibus impetrantium, quas ad Judices ordinarios, vel Commissarios rejiciebant. Modo sublatæ sunt exspectativæ, neque Data ia vacantia concedit, nisi ei, qui de vacatione docuerit legitime. Ita est, ut dicis; ars est, non reformatio; neque unquam Curia abusui viam claudit, quin prius aliam aperuerit, per quam eædem, aut plures merces Romam advehantur: nunc omnia Beneficia in Italia per reservationes, & alias arcanas artes suæ dispositionis fecit, iisdem artibus, quibus olim non indigebant. Si ex regulis Cancellariæ observaveris quot, & qualia sint Papæ reservata, inde ex non reservatis vacantia in besse; aut semisse anni, & post addideris nullas permutationes, neque renunciationes, nisi Romæ, fieri, nihil fere residuum erit. Permutationes non fiunt apud Ordinarios, quoniam Pius V. edita Constitutione statuit prætextu abusuum, qui irrepserant, ne Ordinarii ulli permutationi locum darent, nisi prius Sedes Apostolica leges necessarias præscriberet, nec huc usque præscribit. Renunciationes vero fiunt coram Ordinariis ex alia Pii V. prohibitione, qua vetuit, ne Ordinarius possit beneficium conferre ei, quem resignator nominaverit, aut cui conferri velle innuerit, aut Ordinarius ipse cum velle suspicatus fuerit; ideo nemo in manibus Ordinarii beneficia reponit. Accedit, quod in omni fere renuntiatione intervenit pensio, quæ imponi sine Pontifice non potest. Restant ergo

so-

ſolummodo, quæ per mortem vacant. At Epiſcopi ob Decretum Concilii Tridentini de concurſu, cum non poſſint curata conferre, quibus volunt, illa devolvi ſinunt ad Sed. Apoſt. ut impetrentur ab eo, quem habere illi magis volunt. Sunt & aliæ artes, ut tandem non quingenteſimum beneficium [ abſque hyperbole loquor ] ab Ordinario conferatur; hinc omnes beneficia aucupantes Romam reſpiciunt: Curia a litibus abhorret, quia per illas Magiſtratus ſæculares ſe immiſcerent, a quibus prorſus illos arcere in animo habet; hæc ars eſt, ſed qua neſcientes incauti, prudentes vero volentes capiuntur, ſed alia mihi major controverſia. Ut poſſeſſionis adipiſcendæ ad ſe jus trahant, diſtinctionem adinvenerunt, duplicem nempe eſſe poſſeſſionem, aliam ſpiritualem, aliam temporalem, illam ab executore Eccleſiaſtico, hanc a Magiſtratu ſæculari tradi: contra ego, quantum poſſum, pugno, inanem & captioſam diſtinctionem ajo, neque ullam eſſe ſpiritualem poſſeſſionem, ſed rei ſpiritualis poſſeſſorium eſſe temporale, & licet Epiſcopus aut Parochus nihil temporale haberent, non poſſe tamen poſſeſſionem adipiſci, niſi per manus Principis: oſtendunt ex antiquis formulis numquam fuiſſe traditam a Magiſtratibus poſſeſſionem Eccleſiarum, Monaſteriorum, Canonicatuum &c. Eo ſophiſmata incredibile eſt quantum temporali poteſtati derogetur. Erant qui prætextu ejus poſſeſſionis ſpiritualis acceptæ ab executore Eccleſiaſtico per annos decem beneficiorum potiti ſunt,

&

& tandem procul dubio ab ea facultate mittendi in possessionem Princeps exclusus fuisset; si hoc perfecero, ut e nostrorum mentibus eam distinctionem evellam, multum egisse putabo. Te linceis oculis præditum arbitror, nam defectus nostros trans montes perspicis, quos ipsi præsentes non videmus: bene mones nullibi nobis magis cavendum, quam a Reformationibus Romanis: mirum quam illi perspicaces sunt, & quam nos cæcutiamus! Sed interim non possum satis demirari Cleri vestri *prudentiam*, qui a Rege petat Concilium Tridentinum, & electionum restitutionem. Hæc, dico, pugnantia sunt. Cum Tridentinum Concilium receperint, reservationes recipere cogentur, quæ electiones prorsus tollunt, sed miserandum, quod Clerus iste dominum ultro quærat. Ego, cum sæpe mecum cogitassem, quam ob causam Clerus noster volens sub jugo maneat, neque liberari sustineat, hanc tandem mihi visus sum introspicere. Non amat veram libertatem, sed licentiam vitæ, quæ neque a Principibus, neque a Populis concederetur, nisi Pontificis protectione defenderetur; & vester Clerus, arbitror, Concilium Tridentinum petit, quo a Rege se eximat; quod si Romanæ Curiæ subjicietur, illa longius abest, & ingenii humani est a novis Dominis sperare meliora. Incidit apud nos hic quæstio, an Magistratus sæcularis, qui ob capitale crimen damnat ad mortem Clericum in sacris constitutum, teneatur curare, ut degradetur actualiter, & an recusante Episcopo ad degradationem devenire,

de-

debeat executioni supersedere. Rogo te, ut significes, quid sit in more apud vos, ubi Clerici damnantur ad mortem sæcularis Judicis sententia. Ego numquam legisse in jure, vel apud Jurisconsultos memini de degradatione, quæ sententiam Judicis sæcularis sequatur. Degradatio est executio sententiæ Judicis Ecclesiastici, ut ex decretalibus, & Pontificali manifestum, quam ille profert innixus processui suo in foro fabricato; si vero post sæcularis Judicis sententiam, qua Clericus damnatur ad mortem, degradetur, cujusnam sententiæ illa executio foret? Opportune dum hæc scriberem, redditæ mihi fuere literæ tuæ 17. Novemb. cum fasciculo alterius partis observationum in Ivonem, de qua & gratias duplices ago. De Beneficiis Ecclesiasticis sæpe ad te scribo; quoniam ex tuis semper aliquid elicio, quod e re nostra sit, vel futurum sperem, dum vel mores nostros explicas, vel sententiam tuam aperis. Rem acu tangis, dum tres caussas numeras, ob quas reservationes defenduntur, Concilii Tridentini auctoritatem, Cleri consensum, & Juris vere Canonici ignorantiam. Rex Anglus nos excitare conatus egit forte, quod e re sua fuit, sed non quod ex nostra. Ille dum rationem suæ fidei reddere vult, & Apocalypsim revelare, ea concussit, quæ fundamenta fidei habentur; unde rumor, quod voluerit fidem pervertere, non Tyrannidis admonere. Oh quantum profecisset; si sola politica tetigisset, & tantum juramentum defendisset! Tu mihi dicis: non habet Pontifex, de quo conqueri possit,

non

non ſane tua ſententia, neque mea, neque ejus, qui SS. Petro & Paulo credat, ſed Bellarminus hæc damnat hæreſeos, qui pro articulo fidei ponit, poſſe Pontificem excommunicare, ſed & ſubditos juramento ſolvere, & conſtanter affirmat, quæ omnium noſtrorum ſententia eſt excommunicatis, quandiu hujusmodi ſunt, non poſſe reddi ullam ſubjectionem abſque peccato. Quod meminiſti de fœdere inter Principes ineundo pro ſervanda communibus viribus ſuprema auctoritate a Deo tradita, res eſt, quæ ad effectum perduci non poteſt. Primum omnes Proteſtantes ab hoc fœdere abhorrent. Ex Catholicis nulli ſunt in Germania præter Auſtriacos, & Bavaros, in Hiſpania, & Gallia nulli præter Reges; reſtat Italia. De Bavaris dicunt primum, quod Senex ita Jeſuitarum ſervus eſt, ut merum mancipium; Juvenis a Jeſuitis abhorret, ſed Cappucinos adorat, ut numina. Quid agas cum his natis ad ſervitutem? De Auſtriacis, ſeu Hiſpanis, ſeu Germanis ea eſt ejus domus cum Sede Romana, & cum Jeſuitis fœderatio, ea eſt rationum communio, ut non abrumpi, aut diminui poſſit. Quidquid unius augmento conducit, reliquis prodeſt; non credunt Papæ auctoritatem poſſe illis obeſſe; ſic ſenſit Carolus Magnus ſuæ poſteritatis & totius occidentis malo magno. Papa illorum iſtrumentum eſt, quo validius, eo utilius. De Rege Franco aliud non dico, niſi quod Parlamentorum beneficio tutior manet, licet civile bellum recens extinctum doceat, quibus periculis ſubjecia-

iciatur, quæ vitare potuiſſet, ſed ratione bona, cenſeo, verum mihi ignota, non putavit faciendum. Italiæ Principes ſe Pontificis Vicarios æquis auribus audiebant; Hiſpani, a quibus pendent, has opiniones fovebant; modo expergiſci cœpere, ſed non plene vigilant, neque vigilabunt, ni Curia illos flagris excitaverit. Multi in Europa vellent Romanos & Jeſuitas in ordinem redigere, & bella illis intentarunt, verum verborum, quibus ſemper vincent, ut proterviores, ſi qui ad manus venere, tentaverunt extremas partes dominationis illorum; Solus Scipio novit, ut Chartaginenſes eſſent vincendi, quos reliquit in alienis regionibus armatos, & validos, ut opprimeret domi debiles, licet viribus undecumque evocatis. Non ſunt graves morbi, qui extremas corporis partes invadunt, ſed qui cor. Aliis in regionibus bella gerunt aliorum ſanguine, aliorum pecunia, in ſuis, ſive victoribus, ſive victis, illi ſemper vincunt, & ſi viribus ſuis cogerentur uti ſemel, forte debellatum eſſet. Italiæ pax eſt illorum ſalus; per quos cuniculos poſſit hæc quies interrumpi, non potis ſum videre. Ab Hiſpanis nullus metus; hi tanta in Italia poſſident, ut res eorum non poſſit bello augeri, ſed minui: certe nolunt quicquam mutari. Documento ſit, quod ante tres annos evenit, cum Rex ille Miniſtris ſuis rotundis literis ſcripſerit, caverent ne ulla de cauſa ad manus veniretur, ſeque, licet ab adverſariis origo foret, illis imputaturum. Itali Principes ita quieti addi-

cti, ut ne dum re, sed & nomine contraria oderint. Externus aliquis Princeps vi aperta ingredi potest, nisi, quia Deo patent rationes, nobis ignotæ, dicerem Romanorum potentiam æternam. Sed ego tot nugis te detineo, non animadvertens quantum jactura temporis tibi in seriis occupato constet. Hanc ob rem scribendi finem facio, sed non te amandi, & colendi, ac reverendi, ut par est, & debeo: unum oblivscebar, de Molino nempe; ille vir est tuæ doctrinæ, & ingenuitatis admirator, ut alterum forte in Francia non habeas: non est cur cum eo cæremoniis utaris, neque quod quicquam excuses, sed ut illi jubeas, si qua in re ejus opera indigeas, quod & mecum a te agi summopere opto. Vale, Vir Eximie, & te reverentem solita benevolentia prosequere.

Venetiis 22. Decembris 1609.

Molinus per præsentem Tabellarium non scribit, scribet per proximum.

---

# EPISTOLA XXII.

## AD EUMDEM.

Lectis literis tuis 1. Decembris datis, & a me heri receptis statim Haymonium arripui, & Childeberti donationem perlegi. Ea intentioni

meæ

meæ maxime deservit, cum adhuc vicus in ea donatione nominatus ad Abbatem Donatarium pertineat. Nos quoque in Italia veteres donationes sic interpretamur, ut Fiscalium nomine jurisdictio comprehendatur. Gratias tibi ago maximas propter ea: De appellatione ab Ecclesiasticis habentibus jurisdictionem est lis Romanis nobiscum, & cum Mediolanensibus. Innituntur Romani capiti Romana SS. debet de appellat. Contra alii innituntur rationi, & usui omnium Regnorum. Paucos habemus ex Jurisconsultis, qui nobiscum sentiant. Covarruvias, quia id probat, & defendit, Jesuitarum opera est apud inferos pictus. Galli ut rem apud vos in controversiam leviter tangunt, reliqui cum dicunt, *habemus textum in corpore juris*, vicisse putant. Utinam eo loci haberemus Bonifacium, qui a vestris habetur. Sunt plura in ejus collectione, quæ nobis magnum negotium præbent. Sed expositionibus, & limitationibus nos defendimus, postquam aperte rejicere non licet, ut par esset. Si juramentum Anglicum Catholicis a Rege propositum ad nos nudum venisset, non permixtum controversiis hujus sœculi, fuisset a peritioribus probatum. Sed quoniam & Rex, & qui de eo scripserunt, limites excesserunt juramenti, hinc fit, ut qui articulos ejus probat, censeatur eorum doctrinam omnem recipere, & propterea male audiat. Utinam Rex ille Regia tantum tractasset, & ex Theologis abstinuisset! Prudenter illum fecisse arbitror, quia forte rebus suis ita condu-

cebat, & cum subditis suis ita tractandum erat; verum pro rebus nostris, aliter agendum est. Cœlum terræ miscere nolumus, nec humana divinis. Sacramenta, & Religiosa alia suis locis manere volumus, Principibus tantum potestatem suam asserere per Divinas Scripturas, & Patrum doctrinam licet. Auctor libelli *Tortura Torti* commendatur hic, quoniam a controversiis abstinet, quantum potest. Nihil magis pro Romanis facit, quam ubi dicere licet, quod non ipsi, sed Religio imperat.

Pontifex cum hac Republica ita leviter, ita suaviter tractat, ut Antecessorum nullus unquam tantumdem egerit. Non sunt tres menses, cum Abbas exilio sub capitali pœna damnatus est. Jam mensis non abiit, Parochus quidam Presbyter absque degradatione publicè suspensus, neque tamen Pontifex conquestus; sed nos iis Indulgentiis obdormimus, quibus utinam numquam frui daretur. Tuo consilio articulos Anglici juramenti perpendere decrevi, ut, si forte occasio ferat, ab infamia, qua laborant, possint vindicari apud nostros, qui putant mala mente etiam bona verba lædi, neque ea volunt attendere, sed proferentem. De rebus Turcicis nihil novi habemus, nisi quod quidam bellum in Hungaria futurum suspicantur, quoniam Legatus ejus Principis ita inhumaniter, & barbare Pragæ habitus est, ut non potuerit magis, non ad Imperatoris præsentiam admissus, non responso dignus habitus, a finibus excedere stato tempore jussus; & hæc omnia Imperatore in-

inscio, ut omnium rerum inscius est, curantibus legatis Pontificis & Hispani Regis, qui bellum resurgere in eo Regno vellent, ut Germani hoste propinquo Civilia non reformarent. Quod utinam bene cadat, nam non desunt, qui putent, si res ad bellum tendant, plures ex Ungaris pro Turcis fore. Finem paginæ video; nolo, ut olim, tibi multis nugis molestiam exhibere. Vale, & me, ut facis, licet immeritum ama.

Venetiis 5. Januarii 1610.

## EPISTOLA XXIII.

### AD EUMDEM.

QUod mihi accidit, Vir Excellentissime, ut per eumdem Tabellarium binas tuas receperim, id isthic evenisse puto. Ego omnibus tuis respondi. Si ante datas tuas 23. Decembris mane non recepisti, post recepisse arbitror. Duos recepi fasciculos ex Ivonis Epistolis. Integrum modo habeo, & tibi maximas ago gratias. Quæ de donatione Ecclesiæ facta apud Haymonium reperiri monueras maxime grata fuere, & ea de re ad te scripseram gratias agens. Nunc raptim hæc pauca exaro Tabellarii discessu instante, non modo ut de Ivone gratias agam, sed ut significem, quod

gratissimum futurum arbitror, idque est, scribere ad me Illustriss. Consulem Venetum, qui Hierapoli in Siria residet (ea nunc Aleppo dicitur) observasse Magnetis declinationem exactissime in ea civitate ad Meridianum accurate inventam, & reperisse Cuspidem septentrionalem declinare non ad Orientem, ut apud nos, sed ad Occidentem, idque $7\frac{1}{2}$ gradibus fere, que est nostræ contraria, & tantumdem proxime, si longitudinem Venetam, quæ est 34. ex Hierapolensi, quæ est 71. detraxeris, erit interstitium 37.; cujus dimidium $18\frac{1}{2}$ quod si addideris minori, vel a majori subtraxeris $52\frac{1}{2}$ longitudinis Capitis Bonæ Spei proximæ, & extremæ Japoniæ: Unde Cuspidem trahi a tanta mole terrena, quæ supereminet, non absurde putavit Guillelmus Cilbertus, & in eo Meridiano respicere recta polum. Caves putes, observantem errasse. Est vir accuratissimus, & interfuit omnibus observationibus, quas plures olim nos fecimus, & aliquas in sui gratiam, & cum acubus vertici cupreo innitentibus aquæ, & cum brevibus, & cum longis, quibus modis & Hierapoli usus fuit. Ego cum Græco in patriam profecturo tractavi, ut Neapoli Peloponnensi, quam longitudinem habet, & Magnetis declinationem observet; quæ si nulla erit, ut arbitror, res ipsa constabit. Hæc volui ad te scribere, quæ non ingrata fore arbitror. Deum rogo, ut te incolumem servet.

Venetiis 3. Februarii 1610.

Au-

Audio Presbyterum quemdam isthic damnatum ad mortem, & sententiam executioni mandatam absque degradatione, renuente Episcopo id perficere. Scire velim nomen Presbyteri, culpas objectas, Magistratum, qui sententiam tulit, & tempus executionis. Rogo te curiositati meæ parcas, illamque expleas. Iterum vale.

## EPISTOLA XXIV.

PEr proximum Tabellarium, qui hunc præcessit, per meas literas te reddidi certiorem de Ivonis Epistolis receptis, nec non & de responso ad petitionem meam de donatione facta Ecclesiæ sine ullo onere, deque omnibus egi gratias, si non quales debui, saltem quales potui. Non est quod timeas tuis literis, quum illas legato Reipublicæ, aut suis familiaribus tradis. Huc usque enim omnes ad me tuto pervenere. Signum tuum observo semper, ut & alia mihi nota, omniaque invenio incorrupta. Aliquando differunt Tabellarii præsertim hyeme. Non est quod mireris, si aliquando sero a me responsa recipis. Ego sane multis occupationibus detineor, quarum tamen nullam præfero huic officio ad te literas dandi, quia sine ingratitudinis nota illud omittere non possum. Si temporis angustia aliquando cogor, brevio-

res scribo, ut præcedentes, quas ita raptim dedi, ut nec relegere datum fuerit. Nunc tuas recipio 13. Januarii datas, cum tamen eo die ab aliis receperim datas 26. Hæc in causa sunt, ut aliquando sera responsa videantur. Quod in literis tuis consideras Pontificem donatione Beneficiorum Dominum fieri trientis Bonorum, id ego olim prædicabam nostris, docens modum, quo dominium Reipublicæ augerent, ut fieret sesquitantumdum, non loci dilatatione, quod debilitatem inducit, sed virium augmento. Nec enim tantum Pontifex tot bonorum Dominus est, sed & trientis virorum, si eos numeres, qui possident, qui sperant, & qui his necessitatibus junguntur. Non desunt quibus hæc probentur, sed executio opportunitatem requirit. Viro magis quam odium meretricis blanditiæ obsunt. Opiniones veræ, & utiles bonis scriptis sunt augendæ, & excolendæ. Ego semper mecum cogitabam, omnes, qui Politica præcepta tradunt, in Tacitum commenta conscribunt; ea Aristocratiæ pestis. Si D. Casaub. qui in Polybium scribit de Aristocratia Romana tractantem, præcepta promeret huic Regimini accomodata, & sua lactea eloquentia expressa, rem ut nobis proficuam, ita Romanis adversantem moliretur, veluti ut de re, qua de agimus, opportuno loco observaret nulli Reipublicæ conducere, ut externus Princeps Beneficia ejus donet, item ut Religiosorum Virorum qui sub ea degunt dominetur. Ceterum quod modo possumus, nempe retento *jure*

in possessionem mittendi, non omnia Romanis cedere, id agimus sedulo. Nobis, ut tibi dixi, *illi* obsunt tum sophismate possessionis spiritualis, tum alio arcano, quod nullas lites super Beneficialibus excitari patiuntur. Nostri id interpretantur bonum disciplinæ ordinem, licet ego moneam arcanum esse & latere sub melle venenum. Maximam illam nempe rei spiritualis quasi possessionem esse temporalem semper in ore habeo, quam auctoritate scriptorum confirmare cogor, quorum præter Gallos paucissimos habeo, neque ipsi Galli id concludunt in possessorio adipiscendæ, ut Guido Papa, qui in decisionibus videtur Princeps in maxima defendenda; in quæstionibus negat Magistratibus Laicis potestatem juris dicendi in caussis acquirendæ. Sed ita ego veritatem defendo, ut sperem tandem omnibus persuasurum. Quod probas factum in executione capitalis sententiæ contra Prebyteros absque degradatione renuente Episcopo eo munere fungi; gaudeo meam sententiam a tanto viro laudari; sed jure te volo caussam recusationis: Respondit, non esse munus, quod Episcopum nobilem & primarium deceat, neque habere se Episcopum aliquem e vulgo, cui munus ille demandaret. Nunc Nemesin, si potes, contine. Episcopi vestri; qui Tridentinum Concilium urgent, quia multa Episcopis tribuat, quid petant, nesciunt. Ita videtur legenti, sed non ita ei, qui reipsa viderit, quonam modo observetur. Nunc in Italia Episcopi omnia prorsus Romam referre co-

gun-

guntur, & inde decisionem, & sententias exspe-
ctare. Quare cum Pontifex omnibus prohibuerit
Concilii interpretationem, illamque Congregatio-
ni Romanæ servaverit, eo prætextu Congregatio
totum regimen Romam traxit, nec id solum ex
Italia, sed Hispania, ut quod mireris, neque San-
ctimonialem Episcopus possit ad professionem ad-
mittere absque Romana venia. Id præterea addide-
rim nolle ipsos declaratione in uno casu emanata
quemquam in alio uti, ut semper omnia negotia eo
confluant. Dies deficeret, si omnia enarrarem. Uno
verbo. Vestri Archidiaconi plura possunt, quam
nostri Episcopi. Postquam de Concilio Triden-
tino ago, id addiderim ad me referre, Jesuitas
curare, ut qui illis addicti sunt, in verba ejus
jurent, & illi subscribant: quod an verum sit,
scire opto. His diebus percurri Historiam Bel-
gicam Meterani: Ille sub anno 1596. in po-
stremo libro tractat de Gallicis Comitiis
Rhothomagiensibus, aitque in Parisiensi Par-
lamento articulos decretos tredecim, quos &
recenset. Ego ei non omnino fido, quia in
rebus Italicis, & Juridicis plenus est mendacio-
rum. Rogo te, ut mihi significes, an ille ve-
ra narraverit; est namque articulorum Septi-
mus Legi Salicæ non posse modum constitui
per Religionem Christianam, ut cogatur Rex
esse Catholicus. Undecimus, non debere puni-
ri hæreticos, neque vi cogi, ut catholici fi-
ant. Duodecimus, orandum pro excommunica-
tis tam vivis, quam mortuis publice in Ec-
clesiis. Diu te detinui; non ultra progrediar,
si

si tamen prius rogavero, ut importunitatem meam excuses. Deus Te incolumem servet diutissime, Vir eximie, mihique maxime colende.

Venetiis 16. Februarii 1610.

# EPISTOLA XXV.

## AD EUMDEM.

INvitus ea voluptate careo, qua fruerer, si possem literas tuas per otium perlegere, examinare, &commode respondere; sed diei, aut ad summum bidui spatio compotem me video. Heri gratissimas tuas 25. Januarii datas recepi, cum hodie Tabellarius sit discessurus. Dicam de Beneficiis primum. Iisdem vestigiis institi, ut & aliis scripsi, quorum tu meministi. Rei spiritualis possessorium temporale esse probavi per celebrem Glossam, & per Gallicos Doctores, & fallacem distinctionem ejus in spirituale & temporale ostendi, & simul ex Ecclesiasticorum executorialibus monstravi, possessionem, quam tradere volunt, esse rerum temporalium; namque nominant expresse bona, redditus, proventus &c. formulasque omnes veteres, quibus usa respublica est, ac novas, ostendi eas mittere in possessionem Ecclesiarum, Monasteriorum &c. cum responsione fructuum &c. Clamavi ad raucedinem usque, bona Ecclesiastica, vacantibus Beneficiis,

esse

esse in Ecclesiarum possessione eo argumento usus, quod si quis turbaret, Oeconomus Ecclesiæ nomine ageret interdicto retinendæ. Addidi, quod licet Episcopatus aliquis nullos redditus haberet, & nihil temporale, Episcopus tamen mitteretur in possessionem a Republica, quod reipsa apud nos evenit, & evenire potest, qui in confinio Turcarum in Dalmatia degimus. Non quæcumque volo, & opto, agas, sed neque sum nihil, saltem præceps impetus detinetur. Aliud modo docere volo, eum, qui in possessionem mittit, posse possessione privare, quod arduum erit tum propter adversarios, quos habeo Beneficiarios cunctos, tum quia destituor exemplis, & jam præjudicata sit opinio in nostris, quod sæcularis nulla caussa id potest. Ego tamen rem tentare volo; saltem viam alteri aperiam. Quod meministi de modo mittendi in possessionem a Rebusso memoratum opportunum fuit, quia inde me extricare nesciebam; putabam adhuc morem ab eo narratum servari. Quod miraris potuisse Rempublicam servare libertatem suam hoc rerum statu, ubi Pontifex tantarum opum donator est, non sine ratione id agis, verum scias velim, quod sicut a Pontifice pendent qui ab eo Beneficia obtinent, & qui sperant; ita maxime adversi sunt, qui desperant, & familiæ illæ, quæ in suis domibus continuari opima Beneficia volunt, nedum alios impediunt, sed nec spei locum esse volunt. His adde, quod nescio, quo fato aliqui nascuntur ita Clericatui addicti, ut nulla utilitate, nullis promissis

pos-

possint emolliri. Accedit, quod Beneficia possidentes Familiæ nunquam sibi videntur satis habere, semper plura quærunt. Contra aliæ offenduntur. Hæc in caussa sunt, ut plures habeat Curia adversarios, quam fautores, qui legibus arcent a publico Regimine eos, qui a Curia pendent. Est Lex, per quam Clericus, aut Beneficiarius incapax est cujuscumque Dignitatis, Magistratus, & officii sæcularis. Alia lex per quam Consanguineus Clerici usque ad tertium gradum canonica computatione, & affinis ad secundum arcetur ab omni secreto concilio, ubi de re, aut persona Ecclesiastica agatur, & propterea non potest caussæ Civili, aut Criminali se immiscere, ut Judex ubi res ejus, aut actor Ecclesiastici sunt. Procul dubio quotidie crescunt vires fautorum Curiæ, quia, ut Tacitus advertit, omnes acrius tendenti cedunt, & si res progrederetur, huic libertati timendum foret. Procul dubio divino beneplacito res fiunt, illud tamen nobis ignotum est, ideo enitendum semper, & speranda meliora. Ego non is sum, qui Apocalypsim intelligere me profitear, quia neque Rex sum, & quod perpetuo, aut ad finem usque duratura sit vel tamquam Petri Congregatio, vel tamquam Babylon, humanis potius conjecturis innixus de tenui filo pendere pronuntio, nempe de pace Italiæ. Vos procul absentes non potestis assequi, quæ nobis liquido apparent. Mihi crede, bello in Italia excitato vincat Pontifex; aut vincatur, nihil refert, actum est, id ipsi sciunt; propterea nemo, ut

olim,

olim, bellum excitat, ut aliquid domi acquirat; Vident bello, & ipsosmet, & domum perituram. In magno mœrore versantur modo, postquam a Duce Sabaudiæ bellum a quibusdam prænuntiatur ope Francorum. Ego ut futurum non credo, ita mœrorem Curiæ magna ratione nixum dico: sola pace sustinetur, ut olim bello Italia inquam; nam ut reliquis regionibus bella gerit aliorum militibus, armis, & nummis, & quavis parte vincente vincit in Italia, idest, in corde omnis morbus est læthalis, immo lethifer, licet voluptatem afferre videatur. De Jesuitarum pictura dicam, ut res se habet. In conclavi quodam Domus eorum in hac civitate pingi curarunt Infernum cum omnibus generibus ignearum pœnarum, sartaginibus, nempe verubus, & reliquis, ac cum animulis, quæ ibi torquerentur. Illuc devotos suos ducebant, quo terroribus subjectiores fierent, ostendebantque animulas, & pro cujus audientis captu nomine insignibant, hic talis est, ille vero talis, unde apud nos vulgare proverbium ortum, *Li Gesuiti ti faranno dipingere a Casa del Diavolo*. Narravit mihi adolescens, qui jurisprudentiæ operam dabat, se eo perductum, & ostensis animabus dictum illum esse Albericum de Rosate, illum Rosetum, illum Covarruvias, & quod magis ego risi ostensum locum flammis vacuum ad capacitatem animulæ dictum eum esse locum, qui Menochium expectabat; adhuc enim Menochius supererat. Ridenda sunt hæc, sed his ridiculis in nos tyrannidem exercent.

Gra-

Gratum fuit quod de Jurisconsulto Batavo significasti ; profuerit maxime rebus nostris , ut liber hic videatur : Illum ad me per mare vehendum facillime perficiam ; habeo enim ibi amicos plures . Tantum te rogo , ut nomen auctoris , libri titulum , & locum impressionis sciam . De arresto Castelli miror quod tamdiu distulerint censuram . In eo dicitur esse hanc propositionem , *Rex non est in Ecclesia , antequam probetur à Papa* , esse verbo Dei contrariam , & hæreseos damnatam a Sanctis decretis , & ipsa propositio est primus articulus Fidei Curialis . Nimium prolixus & molestus fui ; finem faciam, si te rogavero , ut me excuses , ac , ut facis , amare pergas .

Venetiis 2. Martii 1610.

# EPISTOLA XXVI.

## AD EUMDEM.

MAximas habeo gratias de verbali Processu ad me misso in caussa Presbyteri isthic interfecti . De iis , quæ ad me scripsisti de degradatione , jam per alias meas egi , si non quas debui, tamen quas potui , gratias . Huc usque nullæ tuæ Literæ periere , omnes mihi redditæ fuere , sed non potes tam cito certior fieri de receptione mea . Ego tibi semper per

eum-

eumdem Tabellarium rescribo, quacumque temporis angustia premar. Qui isthinc discedit Tabellarius, hic non pervenit, nisi post 18. diem, quamobrem neque redire isthuc potest, nisi per 42. Video, te meas semper in tempore recepisse; ego vero tuas aliquando recepi post 30. diem. Hæc ideo ut rationem reddam, cur aliquando mea responsa sero redire videantur. Literas ad te dabo, ut præcipis, per Dominum Castrinium. Quæ de Reservationibus ad me ex Rebuffo scripsisti, per præcedentem Tabellarium recepi, & per eumdem rescripsi. In eodem negotio, Reservationum nempe, pendet hujus Reipublicæ salus. Scis, quam difficile sit morbo mederi, ubi æger ægritudinem non sentit, & valere putat. Remedia aspernatur licet maxime necessaria, & salubria. Imprimis morbus, quo laborat, ostendendus illi. In hoc labore commonstrans, quantum damni pariat habere in suis civitatibus & locis tot homines, eosque divites, qui fortunam omnem suam alteri Principi acceptam referant, & quod non prolatis limitibus potest Princeps ex dodrante assem facere: An exitum ego videre possim, dicam ingenue. Si hæc pax, vel rectius servilis segnities in Italia duraverit, non spero; si vero bello excitemur, non despero. Igitur a vobis pendet. Ego Deum rogo, ut ea fieri velit, quæ maxime in ejus gloriam cessura sint. Vel hæc severa mittam, & ad genialia veniam. Scis ante biennium repertum Instrumentum in Batavis, quo res longinquæ viderentur, quæ aliter vel

non

non apparent, vel obscure. Hoc invento noster Mathematicus Patavinus, & alii ex nostris earum artium non ignari ad cœlestia uti cœpere, & usu edocti magis accommodarunt, & expolierunt. Constat, ut scis, Instrumentum illud duobus perspicillis (Lunettes vos vocatis) sphæricis ambobus, altero superficiei convexæ, altero concavæ. Convexum accepimus ex sphæra, cujus diameter 6. pedum; Concavum ex alia, cujus diameter latitudine digiti minor. Ex his componitur Instrumentum circiter 4. pedum longitudinis, per quod videtur tantum pars objecti, quæ si recta visione inspiceretur, subtenderet scrupula pr. 6. Applicato vero Instrumento, videtur sub angulo majori quam 3. graduum. Ea observata sunt in Thuscia, in Jovis stella, & in Fixarum Costellationibus, quæ tu leges in Libello, quem meo nomine D. Legatus tibi exhibebit, & plura alia miranda magis; de quibus tibi alias scribam, interim ne mirere, videri stellas Jovem circumeuntes tam brevi intervallo, namque oculo in Jove existente, distantia Lunæ a Terra non excedit scrupula pr. 31., & ipsum Lunæ corpus non apparet majus scrupulis 17. Ea si libuerit D. Aleaume communia facere, forte non illi erunt ingrata. Te rogo, ut me amare pergas, & multis nominibus debitorem scribas. Vale.

Venetiis 16. Martii 1610.

# EPISTOLA XXVII.

## AD EUMDEM.

EAm voluptatem, & fructum ex tuis Literis percipio, ut illis carere sine maxima animi molestia non possem, & licet ex commoditate usuri semper non simus, quam nobis hactenus Illustrissimus Legatus noster subministravit, spero tamen nunquam alias nobis defuturas. Nunc egi cum D. Castrino, ut rationem ineamus, qua saltem per annum uti poterimus. Interim aliæ, Deo benevolente, occurrent. Quod ad Beneficialia attinet, in eis totus sum, & spero non modo illis, quæ habentur, non negligenda, sed fortasse aliis etiam abusibus obviam iri posse. Covarruvias videtur rem optime intellexisse, loquutus tamen, ut ferebant ea tempora, & mores. Ego artes illas Hispanicas odio odi plusquam novercali. Quid enim attinet dicere, posse aliquid fieri facto, non jure, vel extraordinarie, non ordinarie, ut totum Caput 35. Covarruviæ loquitur? Nonne rectius, & magis e Republica est, ut quod factu necessarium est, fiat potius constituto judicio, quam veluti privata auctoritate? Ego semper Gallicum usum magis probavi, constantior videtur, & minus turbis subjectum, neque ea Conclusio Juri Gentium est consona, ut quod factu necessarium est, vel e Republi-

blica existit, jure facere non liceat, fieri tamen possit. Mihi videntur hi viri similes inquirentibus, an ob animæ salutem liceat peccatum committere; si enim ob animæ salutem, jam non peccatur; si vero peccatum, jam nunquam ad salutem animæ. Quæ de Degradationibus scripsisti, recepi, ut per alias meas significavi. Ita est, ut doces. Semper aliquo sophismate Clerici illudunt Magistratuum potestati. Si obtinerent, quod volunt in ea caussa, jam in eis esset probare, aut reprobare sententiam Magistratuum. Me valde pupugit, quod scribis, Ecclesiasticos vestros a suis juramentum exigere observandi Concilium Tridentinum; nam vereor, ne his initiis tandem illud vobis obtrudant; quod si obtinere poterunt, jam nobis nulla restabit ratio enervandi eam vim, quam illi dare vellent in Italia, nempe ut esset summa Lex. Sed quæ abusio ista, ut fiant contraria juramenta Episcopis, Papæ, & Regibus? Videtur Divinorum quidam contemptus. Apud nos Curia Romana jurare cogit Episcopos, & Abbates in verba Pontificis, juramento quo in Feudalibus est usus: Ceterum Principibus nihil jurant. Quod si possemus, ut juris esset, Prælatos habere eo juramento solutos, forsitan moderatio aliqua Romanæ omnipotentiæ sequeretur; nam quod verbis jurarent, re ipsa nihil præstarent, maximo scandalo populis cederet. Quæ de Advocato Consistoriali scribis, qui Reservationes probat, eo quod Dei & Papæ idem sit Consi-

ſtorium, tibi mirum non videatur: Hujuſmodi Librorum pleni ſumus; nunc omnes quæſtiones dirimuntur his hypotheſibus: Papam eſſe alterum Deum, poſſe quidquid Deus poteſt, de injuſtitia poſſe juſtitiam facere, habere omnia jura in ſcrinio pectoris, & alia hujuſmodi, quæ ſi vera forent, jam nos merito impietatis argueremur, ut arguimur immerito, qui hanc tremendam & exorbitantem poteſtatem aliquibus limitibus coërceri debere diximus, ut alias ſcripſi. Si res Italica è præſenti ſtatu moveatur, omnia brevi in melius formanda expecta. Literas ad Meninum Patavinum miſi, ubi ille nunc moratur. Merito virum amas: ut loquutionis candorem in ejus Literis inſpexiſti, ita ingenii & morum bonitatem ineſſe cenſeas. Ego illum videre velim in perlegendis Pandectis occupatum. In eo valet. Veteris Juris Eccleſiaſtici enucleandi onus, uti in Italia novum eſſet, ita virum requireret magis firma animi & doctrina conſtantia, quam eloquentia valentem. A vobis unus aliquis petendus eſſet Cujacio, aut Duareno, vel, quod magis e re eſſet, Leſchaſſerio ſimilis; verum hæc optanda potius, quam ſperanda, niſi Divina Bonitas ſubveniet, cui ſoli fidendum; Hic rumor invaluit, parari a Rege Chriſtianiſſimo vires bellicas ingentes, quod ſi, ut ego arbitror, verum fuerit, multa mutari oportet, neque res Eccleſiaſticas ab aliqua mutatione eximere, licet quis maxime voluerit, quiverit. Quibus Rex favebit, iis Romana Curia adverſabitur, neque a

ful-

fulminibus abstinebit. In hac animorum contrarietate concordia in regenda Ecclesia diu durare non poterit, ut conjectura sit, licet Gallia non sensura sit bellum, non tamen expertem fore earum mutationum, quas ejusmodi discordia parere solet. Faxit Deus, ut quidquid futurum est, in ejus gloriam cedat; quem rogo, ut te, Vir Excellentissime, semper protegat, mihique largiatur, ut tibi servus non inutilis fiam. Vale.

Venetiis 20. Martii 1610.

## EPISTOLA XXVIII.

### AD EUMDEM.

FAsciculus Literarum Illustr. Legati a Tabellario Lugdunensi ad nos perlatus non fuit, sed nescio qua alia via pervenit 15. Aprilis, quo Literas tuas 24. Martii recepi. Jam per ordinarium Tabellarium scripseram D. Castrino, nullas illius literas accepisse, & ut idem ad te referret, rogaveram. Tuæ gratissimæ mihi fuere. Formulam Literarum Provincialis Senatus vidi cum maxima voluptate. *Maxime* probo, quod in illis concedendis publicum contradictorem adhibeant. Mores nostri obstant, neque permittunt, ut id imitari possimus. Id tamen moliar, & effecturum puto, ut Præfectus, ad

quem Princeps Literas suas dirigit, Fiscalem audiat, unde forsan evenient aliquando, ut ille contra aliquid proponat, quod tandem ad Senatum referatur, sicque usus inducatur, quo possessio detur cum cognitione, in quo totum negotium vertitur. De exemplari Patronalium Literarum ad me misso pluribus nominibus tibi debeo, ac maximas gratias ago; validissima est D. Menini ratio; ut mones, ex usu antiquissimo observato, scientibus, & non contradicentibus, ac propterea approbantibus Pontificibus, quia nihil consuetudine validius. Ea sola lex est; scriptum jus, ni ea firmetur, larva est. Sed vide, quibus angustiis premar. Ea ratione mihi parcissime utendum; sicut enim ego firmare bonos usus volo, ita adversarii defendunt abusus. Ego id tento, ut Beneficia Indigenis tantum dentur, pensionibusque non graventur, quæ duo in intolerandos abusus abiere, quos contra defendunt Romani, quoniam id actum a Pontificibus, sciente, vidente, neque contradicente Principe, Populo, & Clero. Mihi non desunt sinceræ & veræ rationes, quibus differentiam ostendam, quia Lex naturalis consuetudine neque tolli, neque minui potest. Non quantum vellem ago, neque tamen nihil facio. Quod a me petis de Glossa, ubi possessorium spiritualium temporale esse dicatur, ego more Italico loquutus sum. Nos dicimus sæpe textum celebrem, aut glossam celebrem, non quia clara, sed frequentata, ideo frequenter in eum sensum est allegata.

No.

Nostri Jurisconsulti præsertim sæculi superioris nunquam, aut fere nunquam quicquam adducunt, quod, si examines, reperias in vero sensu allegatum; unde qui emunctioribus naribus præditi sunt, quoties communis opinio textum intelligit in sensu a vero alieno, non propterea ab eo allegando in eodem sensu desistunt, sed ajunt, *Est Textus celebris*, idest, quod frequenter a Doctoribus in eo sensu allegatur, licet illi maxime sciant alienum esse a vero, velut *6.* I. de hom. in *6.* contra interficientes per assassinos, de genere quorumdam Musulmanorum in Syria agitur. Italici Doctores fere omnes ad interficientes data pecunia detorquent. Si mihi probandum esset, Clericum, qui data pecunia aliquem occidi curaverit, esse ipso jure degradatum, ita dicerem: Est textus celebris *6.* I: de hom. in *6.*, idest, est textus, qui in hunc sensum frequentatur a Doctoribus. Nunc ad rem. Glossa est *6.* Literas de Jur. Calum. Ea a Doctoribus allegatur, ut dicat, possessorium spiritualium esse temporale. Videbis Covarr. Gail., & alios non incuriosos ita allegare eam Glossam, ego dico celebrem. Si vero me de vero glossæ sensu roges, dicam ingenue. Dum Glossa ait, licet de caussis spiritualibus de calumnia non juretur, si tamen ageretur de possessorio, pro re spirituali juraretur; Doctores collegere: Ergo possessorium rei spiritualis non est spirituale, quia non juraretur de calumnia. Mihi hoc non videtur necessario colligi, quoniam verba commode alium recipiunt sensum, nempe,

in caussa spirituali non juratur de calumnia, sed ab hac regula excipitur caussa possessoria rei spiritualis, certumque est, id, quod excipitur, ejusdem generis esse, cujus id, quod in regula comprehenditur; quam ob rem si quis ex ea Glossa probare vellet, possessorium rei spiritualis esse spirituale, ego non contradicerem, nisi ex celebritate. Quod vero æquiparas Doctores Juris Teologis abutentibus Sacræ Scripturæ locis, si mihi permiseris, dispari loco habendos dixero, & ut hos damnandos, ita illos excusandos. Theologos in eorum numerum pono, qui re aliena abutuntur, Jurisconsultos in eorum, qui sua. Verbum Domini in æternum manet, neque tolli ab hominibus potest, neque mutari; at jura consuetudini subjiciuntur; quæ sunt; illa tollere potest; Quid mirum, si commoda ac opportuna interpretatione tempori & rebus aptentur? Id me Romana Curia sapientior effecta edocuit. Olim nihil illi frequentius, quam revocatio, aut derogatio Canonum, aut Constitutionum, quod maximum contemptum ingeneravit. Modo apage, ut id faciat; maxime illos veneratur; sed tamen interpretationem rebus suis accommodat. Ita de Concilio Tridentino agitur. Quid vero si interpretatio sit contra textum? Nihil ad rem; si reipsa honos non est exhibitus legi, attamen injuria non est palam irrogata: Sed nimis in his nugis progredior. Ad rem redeo. Ego sæpe Librum Covarruvias Practicarum, & præsertim c. 33. legi, neque unquam in mentem venit, ut verba considerarem, ubi ait, alios

Au-

Auctores Hispanos; praxim Reg. Trib. confirmandam susceptisse. Quod monuisti, in terram non ceciderit. Ego id procul dubio expiscabor, & illos Auctores habebo. Si responsa Vamesii in Francof. nundinas prolata fuerint, & nostri Bibliopolæ huc deferent, illos expectabo. Lusum Curiæ Romanæ vobis factum risi; sic illa solet; id tamen credo, Magistrum Palatii temere egisse, namque in libris vetandis sunt faciles, & audaces, ut etiam unum pro altero sæpe prohibeant. Domini Librorum sibi esse volunt. Miraris, quod dixerim, si bellum in Italia ingruat, Romanam Curiam vincendam, licet illa maxime vicerit, id tamen non est secum pugnans; namque si bellum fiet in Italia, non fiet sine multorum adventu, qui cum illa non sentiunt; unde illi duo bella, militare unum, literarium aliud; in posteriore vincetur procul dubio, licet in priori vicerit, quoniam non ubique poterit uti igneis & funalibus argumentis, quibus cogunt, & suadent. Scripserat D. Legatus, misisse duo exemplaria Polybii; illa tamen huc usque non appulere, neque causam notam habeo; non arbitror deperdita. Cum primum ad manus meas pervenerint, gratias D. Casaubono agam. Interim tibi dicam, me aliquando pauca quædam in eo Libro legisse, visumque mihi, nullum unquam ita dilucide Græcum Auctorem in Latinam Linguam vertisse. Ausim dicere sine hyperbole, Latinum Polybium Græco elegantiorem, & clariorem. Plura Exemplaria huc sunt perlata, leguntur que, & prorsus

ſus laudatur Jnterprès. Ego Commentaria ſummo animi deſiderio exſpecto, teque rogo, ut ei viro, meoque Domino ſalutem dicas.

Huc uſque ante adventum Tabellarii ſcripſeram. Ab eo tuas poſtremas accepi 5. Aprilis datas mihi gratiſſimas. Tuis receptis non poſſum non ſtatim reſcribere. Ea voluptate fruor, dum tecum colloquor! Pluribus negotiis occupatus detineor, & plura ſcribo, præſertim per veſtrum Tabellarium, ſed nemini familiarius, quam ad te. In hoc Ciceronem imitor, ſcribens quidquid in buccam venit. Ceterum nulla arte utor, & ſæpe adverto, meo calamo Priſcianum vapulare. Verum pergo, certus, quod ignoſces, & excuſabis. Ego, cum gratias ago, ſerio facio. Is ſum, ut a quo quicquam acceperim, acceptum perpetuo referam, meum eſſe nec unquam puto, neque dicere poſſum, veluti modo, cur tibi non agam gratias de Ludovici VI. lege, quam ex unica, & perfunctoria lectione meis cœptis profuturam video? Scite dicis noſtros in ſervitute natos, qui libertatem non guſtaverint, illius bonorum ignaros; & hoc noſtris conatibus in primis obſtat; indoles tamen ſatis ad libertatem licet obſcure viſam aſpirat. Nulli dubium, quin, ſicut Eccleſia verbo formata eſt, ita verbo rite reformetur. Attamen ſicut magni morbi per contrarios curantur, ſic in bello ſpes; nam extremorum morborum extrema remedia. Hoc mihi crede è propinquo res videnti. Non aliunde noſtra ſalus provenire poteſt. Nihil

fieri

fieri poteſt, niſi tempore a Deo præfinito, nec niſi per remedia ab eo ſtatuta. Fateor, nos tamen humano more agimus, & cogitamus. Vult Deus humanis affectibus orari, & Divinis conſiliis exaudiri. Non is ſum, ut credam, aliquid fieri poſſe, quod futurum non ſit. Hæc in ſinu Amici. Deum, quod in ſui gloriam ceſſurum ſit, ut effici velit, rogo.

Ad Lunam accedo. Quæ noſter Mathematicus de ea ſcripſit; ut tibi verum fatear, nonlegi. Ea de re cum illo ſæpe tractavi, & multa hinc inde dicta. De ea tibi mentem meam aperiam, & meo more tantum quæ explorata habeo, proloquar. Certum eſt, eaſdem phaſes terram Lunæ, quas Lunam terræ oſtendere, niſi quod quæ a Terra in Lunam, utpote a majore, ſunt valentiores. Cum Luna eſt media inter ſolem & Terram, a Terra non videtur. Contra, cum Terra media eſt inter Solem, & Lunam, a luna non videtur; & ſicut Terra, cum in medio eſt, videt Lunæ hemiſpherium illuſtre totum; ita Luna, cum in medio eſt, videt Terræ hemiſpherium illuminatum totum. Cum Luna per quadrantem Circuli a Sole diſtare videtur, ea dimidia apparet; cum verò Luna per 30. gradus a Sole nobis diſtare videtur, Terra diſtare videtur per gradus 150; ſicque, ubi Luna nobis apparet per duos digitos illuminata, Terra Lunæ videtur illuminata per decem; & ubi Luna decreſcens videtur Terræ illuminata per 10. digitos, Terra velut creſcens videtur Lunæ illuminata per digitos duos. In reliquis Phaſibus ca-

eadem tecum ipse ratiocinaberis, donec certam & familiarem conceperis speciem. Hinc dubitationem dissolves, cum Luna corniculata nobis apparet, & reliquum ejus corporis apparet subsplendidum; unde illa lux? Dico a terra, quam Luna videt illustratam per digitos duos, aut decem. Cur vero illud sublucidum non videtur in Luna dimidia? Quia lumen, quod a Terra recipit, debilius est, cum non perveniat nisi a Terra dimidia. Tandem, sicut Luna, quo conjunctioni propior, eo minus lumen Terræ mutuat, ita Terra illa majus; & cum ad oppositionem tendit, illa crescit, Terra minuitur, donec ea apposita, maximum est lumen Lunæ, Terræ vero nullum. Quod de Terra, & Aqua proponis, utra lucem a Sole magis recipiat, & referat, dicam breviter. Si maximam aquam, utpote locum Soli objectum, inspicias, videbis aquæ particulam, in quam Sol incidit, illustrem ac sol ipse, immo ejus imaginem referat, ac objectum locum sicut ipse ais, fere æque ac Sol ipse illustrabit; reliquæ aquæ partes, in quas Sol non incidit, obscure tibi videbuntur. Si vero tantumdem Terræ illuminatæ inspicias, totam æque lucentem videbis, minus quidem quam particula aquæ, unde radius reflectitur, magis autem quam reliquum aquæ. Hæc, ut tuo exemplo utar, sed ad rem propius. Si Soli a te eminus objicias globum lapideum, ac globosum speculum magnitudinis ejusdem lapidis, hemisphærium videbis illustre, totum speculum vero videbis obscurum, præter ejus particulam quamdam

dam minimam, in qua parvum quemdam Solem inſpicias, quod ſi tantum elongaveris, ut inſenſibilis ſit angulus, ideſt, ille parvus Sol, ſpeculum vix videbis, Solem autem maxime illuſtrem. Aqua, & Terra globoſa ſunt, & lunæ pars illuſtris, & pars maculoſa, hæc ad illas apta, & rem ipſam videbis. Nunc ad aliam tuam dubitationem. Neſcio, an Mathematicus ſe aperte explicarit; ſed, ut res eſt, dicam. De his, quæ videntur in Luna, maculis, nihil pronuncio. Eæ per perſpicillum ita apparent, ac ipſis nudis oculis; ſed ajo, in parte Lunæ illuſtri eſſe cavitates, & eminentias. Si tu dixeris: ſunt partes rariores, quæ mihi videntur cavitates, & denſiores, quæ eminentiæ; ſic oſtendo non eſſe. Rei ſoliditas, ut ex opticis probe noſti, nôn perſpicitur, niſi ex lumine, & umbra; hinc pictura ſoliditatem imitatur luminibus, & umbris; & ego poſſum quamcumque rem ſolidam, ac ſi plena eſſet, oſtendere luminibus, & umbris per colores variatis. Ajo nunc lumen, & umbram illarum partium oſtendere illas eſſe cavitates, & eminentias. Si tu cavum hemiſphœrium ita accommodaveris, ut ejus axis locum Solis in meridie reſpiciat, & illud videas oriente Sole, tunc pars ejus orientalis erit umbroſa, occidentalis illuſtris. Cum ad meridiem Sol pervenerit, tota cavitas illuminabitur; cum ad occidentem, rebus mutatis, occidentalis erit umbroſa, orientalis illuſtris. Cum id obſervaveris, cur non con-

eludas: Si quid tale videro, ad quod propinquius non possem accedere, illud sine tactu dicam cavum? Modo in illustri Lunæ parte rotunda quædam videntur, eaque, cum Luna est occidentalis, apparent ex occidentali parte obscuriora, ex orientali clariora; & e converso, cum Luna decreverit, & orientalis fuerit, eadem rotunda videntur & numero, & magnitudine; sed orientales partes tunc sunt obscuriores, occidentales lucidiores, ut semper obscuritas ad Solem vergat. In ipso vero plenilunio non videntur, utpote quæ æque ubique Sole illustrantur. Si hoc non ostendit, illas esse cavitates, nulla via restat cognoscendi oculorum ope cavitates. De tactu nunc loquor. Pariter ex adverso, cum quid ex parte Solis orientis apparet lucidum, & oppositum tenebrosum, ac Sole occidente mutatur, ut quæ erat lucida pars, fiat obscura, quæ obscura, lucida, eminentiam pronunciabis. Ejusmodi sunt alia quædam in Luna, sed pauciora, quæ ea crescente, & decrescente appareant eadem situ, numero, & magnitudine, & lumen mutent, semperque pars, quæ Soli propinquor est, magis lucet; in plenilunio autem non videntur, quia æque illuminantur; Sol enim ad perpendiculum monti imminens totum ex omni parte æque illustrat. Amicus tuus, quem dicis, fabricasse instrumentum, quo plures videat Stellas fixas, & alias notet Lunæ maculas, idipsum conatus est, quod nostri; sed hic nostri valde progrediuntur & in

fa-

fabrica, & in usu Instrumenti. Non dubito, quin tota Philosophia cœlestis sumat maxima incrementa. Te diu in his nugis detinui, sed cucurrit calamus, postquam scribere de hac re cœpi. Si molesta lectio erit, ignosces; quod si obscurior, ingenii imbecillitatem excusa. Non possum a Beneficialibus abstrahere mentem. Non mireris, quod sæpe de ea re ad te scribam, quia in ea cardo nostræ libertatis vertitur: inde omnia mala nobis; & si ei rei medicinam facere possemus, integræ saluti restitueremur. Mihi crede, nullæ nobis animorum dissensiones, nisi inde; cetera nimium concordes sumus. Vide, an sit operæ pretium de ea re sæpius loqui. Plura non addam. Deum oro, ut te servet incolumem, mihique donet vires, ut tibi non inutilis servus sim. Vale, & D. Aleaume meo nomine salutem plurimam dicito.

Venetiis 27. Aprilis 1610.

# EPISTOLA XXIX.

## AD EUMDEM.

Literas tuas accepi 10. Aprilis datas, ubi vestigia exacti judicii video. Utinam possim tecum per horam colloqui! Ad eumdem scopum procul dubio pluribus viis ten-

tenditur, una recta, obliquis infinitis. Græci Imperatores, nondum adulta potentia, an dicam impatientia Clericorum, Imperii Majestatem sine ulla diminutione aut difficultate retinuerunt. Vos non sine interiori, & exteriori bello libertatem defenditis, verum ingenue, & aperta vi, & jure. Hispani vi regionis ingenium artibus, & dissimulatione; nam quo pertinet id, quod Covarruvias in fine C. 36. Practic. posuit? qui cum in eo Capite, & in priori multa dixisset de obsistendo executioni Bullarum Curiæ Romanæ, post subdit, ea a se dicta, non quod arbitretur vel in minimis executionem Literarum Apostolicarum impediendam fore, quia id Catholica Majestas exhorret, & edictis prohibet. Sic solent illi verbis honorem præseferre, interim res suas agere. Audio haberi ecos plena Bullarum Conclavia ab Imperantibus sublata, ne executioni locus esset. Id etiam, quod semper præmittunt, non impediri, sed differri executionem, donec Pontifex consulatur, & doceatur, sophisma est, neque enim consulere, neque docere postea an curant, aut tentant, aut volunt. Juramentum, quod Fidei professionem appellant, de quo mihi scribis, præstatur in Italia, neque tantum ab iis, qui ad Beneficia recipiuntur, sed a Concionatoribus Verbi Dei, atque a Rectoribus Scholarum, &, quod magis mirere, ab omnibus, qui Insignia Doctoratus in Universitatibus recipiunt in Jure, Medicina, Philosophia, aut etiam studiis Humani-

nitatis. Illud credebam a vobis non receptum fuisse, utpote quod a Tridentino Concilio originem duxit. Sed est aliud Juramentum, quod exhibetur, & præstatur ab Episcopis, Abbatibus, ac reliquis jurisdictionem habentibus, ejus formæ cujus usus in Feudalibus; jurant enim de vita, membris, servandis secretis, nuntiandis, quæ adversa audiunt, fovendis Nuntiis, Papatu defendendo, &c. neque umquam invenies majus, amplius, ac auctius Juramentum. Illud puto apud vos in usu non esse, & de eo scripseram; nam id, quod in Fidei professione Tridentina solam reverentiam & obedientiam spondet, ad spiritualia restringi videtur, at id, de quo loquor, si consideres, nullum vassallum ligium magis obstrictum seniori reperies, quam illi Romano Pontifici obstringuntur. Quod ais antiquissimum esse juramentum fidelitatis erga Regem, idcirco quod Pontifici post hæc præstatur, eo salvo, debere intelligi, id est, quod ego verum esse puto, ratus etiam hominem quemlibet nasci subditum, ac obligatum paternæ Reipublicæ, quam obligationem nulla superveniens tollere possit, aut imminuere; utpote quæ juris naturalis sit, & eam ob rem Clericum Civem non exuere, magisque ut Civem teneri Principi, quam ut Clericum Pontifici. Contra Romani docent, posteriori obligatione priorem obliterari, & juramentum, quod Pontifici præstatur, alia quæcumque antiquare, illudque Innocentii in ore habent, quod in quocumque juramento

intelligitur reservata Sedis Apostolicæ auctoritas. Sed de his alias. Quod ais, non tibi videri Italiæ statum mutari posse, maxima auctoritate fulcitur; sed fata viam invenient. Ego, ut verum fatear, rationibus utrimque distrahor, ut quod futurum sit, divinare non possim. Sabaudiæ Dux cum D. Dignierio duobus diebus sermones miscuere cum Domino: Aderant militum Duces Franchi 240. Quod deliberatum sit, incertum est. Hæc Respublica pacem optat, ac bellum aversatur, sicut æger medicinam, idque jure, cum nesciatur, an par viribus ægrotantis, vel supra sit. Dux Sabaudiæ jam scit, quid ab Hispanis obtineri possit, pecunias nempe, quas ille non magni facit. Tandem eo redeo: Deliberant quidem mortales, sed rerum eventus solis Superis subsunt. Quid Rex vester moliturus sit, nondum conjectare possumus; mirum secretum, & quod summam potentiam tantæ majestatis arguat. Convenere apud Cæsarem tres Electores, Coloniensis, Saxo, & Trevirensis Legatus cum aliis Ducibus, & Archiducibus, ac Langraviis & Catholicis, & Lutheranis. Quod actum nescio, nisi convivia, & compotationes. Pontifex Nuntios mittit ad Regem Hispanum, & ad vestrum extra ordinem pro Pace, ad vos Archiepiscopum Nazarenum, nomen Franciæ fatale, ob res gestas a Mirto ejusdem dignitatis sub Henrico III. pro sacro fœdere, cujus pars magna fuit; sed Pontifex interim propriam Domum non negligit; emit enim Salmonæ Principatum in

Nea-

Neapolitano Regno 50000. nunc misit eodem 100000., ut alia adquirat. Romana Curia nihil magis expavescit, quam bellum. Ego Deum rogo, ut omnia in gloriam suam dirigat, & te diu servet incolumen, ac me de more amantem. Vale.

Venetiis nonis Maii 1610.

## EPISTOLA XXX.

### AD EUMDEM.

Dicere non valeo, quanto mœrore Regis mors apud nos audita fuerit. Unica spes libertatis Christianæ in eo posita esse videbatur. Illi unum fuit fatum immaturum, neque inglorius obiit, sed Regno, & Reipublicæ Christianæ intempestivum. Divina judicia admiror quidem, & veneror: nec tamen possum non stomachari, dum hanc novam doctrinam considero, quæ contra omnia divina & humana jura Principes occidi posse afferat, Religionis obtentu, quæ nisi consensu totius Orbis exterminetur, actum video de commercio generis humani. Nunc coguntur Reges omnes, & Principes non modo conatibus Hispanorum, & Jesuitarum cedere, verum etiam a suspicione cavere. Rex enim neque hostilia contra eos agitabat, neque forte tentaturus erat, & tamen sola suspicione interfici curarunt. Numquam

ſatis contra hujuſmodi indignari poterimus: Faxit Deus, ut Orbis ſua mala proſpiciat, & propulſare velit! jam enim nemo operare poteſt, ut prudentia ac dexteritate tutus fiat, cum favores immenſi, quibus Rex Jeſuitas proſequutus fuit, eum tutum non reddiderunt. Divinare nolim, ſed numquam arbitror, Galliarum Regnum ſecurum fore, donec ea peſtis eliminetur. Nos præivimus. Si rem publicam ſalvam vultis, nos ſequimini. Sed de his hactenus, fient enim, ſi Deus non excæcaverit eos, qui oculis maxime valent. Vameſii reſponſa ad nundinas Francfordienſes perlata non ſunt. Ego amico in Batavos profecto in mandatis dedi, ut rediens illa ad me perferat. Libens eos libros lego: qui ab hominibus liberis compoſiti ſunt. Italis ingenium non deeſt, neque tamen illo uti poſſunt. Ego nihil magis, quam Beneficia cogito, quia nec quicquam huic Reipublicæ utilius. Si eas res recte inſtitui poterit, viæ omnes claudentur, per quas hoſtes interna noſtra ingrediuntur. Gnarum id Adverſariis, & eam ob rem mordicus reſervationes tueri volunt, quibus nos opprimunt. Noſtri abuſibus innati, & innutriti, ad eos cognoſcendos tardi & ad corrigendos ſegnes ſunt. Vos ego obſervo ſub Regibus Minoribus ſemper ad majorem libertatem aſpiraſſe, & plura in Eccleſiaſtica adminiſtratione correxiſſe. Utinam & modo manum admoveatis, quod non tantum in utilitatem veſtram opto, verum etiam, ut nobis præluceatis! Gaudeo quam maxime Regni iſtius

res

res in tranquillo esse, neque aliter fore putabam, neque ulla cautione indigebatis. Nihil vobis periculi nunc; sed postquam Hispani, & Jesuitæ Diacatholicon disseminaverint, cui non occurretis, si vel minimas radices agere permiseritis, præsertim vero de aurato, ut olim usi fuerint. Quæ de Casaubono scripsisti, audieram. Nunc ea molestia liber effectus poterit & Polybio, & aliis bonis auctoribus operam dare. Nulli pio viro a Politicis est abstinendum, quoniam hostes rerum publicarum, & libertatis religionis colore nobis funesta præcepta obtrudunt. Ita iisdem obviam ire cogimur. Ego eum virum summo studio colo, & salvere cupio. De ocularibus perspicillis, ut tibi aliquid dicam, sunt hic viri aliqui eruditi, qui Commentariolum de visione concipiunt, ubi & inventi Hollandici rationem, & caussam explicant, simulque totam Theoricam perspicillorum exponunt. Si in lucem prodierit, ut futurum puto, exemplar ad te mittam, sperans dignum fore, quod a te, & reliquis istius Regni favere, & propterea ministros isthuc mittet. Primus favor erit hortari, ut Hugonotæ e Regno exterminentur, quo Deus magis placatus Regnum favorabili aspectu inspiciat. Nisi id fecerit, Papa officio deficiet. Ego cum ad te scribo, numquam finem facerem: sæpe obliviscor officiosæ moderationis, quam excedere non debeo. Finem faciam Deum veneratus, ut te diu bene valentem servet.

Venetiis 8. Junii 1610.

# EPISTOLA XXXI.

## AD EUMDEM.

NOn ausim credere, Jesuitas, aut Romanos necis Regiæ auctores fuisse, præsertim cum Sicarium melancholia laborasse fama ferat. Neque tamen illi negare possunt, facinus hoc prodiisse ab ea doctrina, cujus ipsi inventores fuere, quamque scriptis & censuris defendunt. Pragæ post necem perpetratam Jesuita Scotus illam laude & præmio dignam asseruit. Factum probare parum a consulendo abesse videtur. Miror, ut Rex Gunterii audaciam tulerit, qui contra Edicta sua concionari si non veritus famam quoque ejus aggressus fuerit. Deinde illud ferre privatum de Republica inditium interponentem suum sponte, & a Principe non jussum, præsertim publice, nimia indulgentia est, quæ tandem in Principum necem desinit. Rex favet Jesuitis, ratus posse ea via ab insidiis eorum tutus esse, sed satis occurrit, dum ea vitare conatur. Si Jesuitæ Franci negant sibi eam doctrinam probari, ego neque juratis crediderim: æquivocatione aliqua, mentali evasione, aut tacita reservatione Deum fallere volunt. Cum unum Jesuitarum audieris, omnes audisti: Francos non excipio. Gens vestra ingenua profecto est, & verax, ubi ingenio regitur; at si aliorum artibus inficiatur, eorum perversitatem supera-

peraverit. Quid si Jesuitas Francos reliquis prætulerim, & pejores pronunciarim? Maxime velim contra illam nefariam doctrinam aliquid a Theologis scribi, eamque impugnari; sed vereor, ne a Sorbona vestra id fiat paullo remissius, video Jesuitis nimium addictam, & ab antiqua illa, & vere Franca degenerasse; & adversus hanc pestem rerum publicarum non leviter pugnandum est, ne potius confirmetur. Non unus Mariana ausus est ejus præco fieri; nullus Jesuitarum abstinet. Suarez videas, Marianam jocum dixeris, qui subditos in necem Principis armat, nedum si Pontifices jusserint, si probaverint, verum si sola spes ratihabitionis adfuerit; immo satis esse asserit. Sed hos mitto. Gaudeo, vobis omnia prospera venisse. Utinam perpetua sint. Ager istius Regni expurgatus esset. Illi timeo, cum hostes Diacatholicon disseminaverit, auritum præsertim. Dum Jesuitas retinetis, lupum auribus, ut in proverbio, morbi caussam intro latentem habetis. Sed stultus ego, qui ignarus, & absens cum præsente, & vidente tracto. Ad nostra accedo. Cum vestri, & Allobroges armarentur, silebant Mediolonenses Hispani, tamquam omnia tranquilla fuissent; modo, armis a vobis depositis, illi maxima sollicitudine ea parant, ut bella moveant. Non crediderim; verum potius ut Allobrogis, & reliquis Italis, quas voluerint, leges dicant. Si unquam Italia periculo servitutis subjacuit, nunc parum ab ea abest. Papa parum curat, vel forte optat vincula au-

rea, neque prospicit felicitate ebrius. Reliquis oculi adsunt, sed præterea nihil. Nostro magno malo arma a rege capta fuere, & ejus mors forte nobis, quam vobis exitialior. Sed tamen nihil contra Dei beneplacitum agitur. Ille rogandus, ut omnia in bonum vertat. Ad alia. Vamesii librum ad me perferendum curavi; propediem habiturum puto, atque utilem futurum. De legibus, & moribus ejus Regionis nihil dum novi; quæ novisse idcirco profuerit, quoniam magis exempla, quam rationes valent, & si Franciam, aut Hispaniam adduco, sunt qui respondent: *Non tanti sumus, non cum magnis Regibus comparandi*; quo fit, ut ad Pedemontanos sæpius confugiant. Si Burgundos addidero, neque tam magnos Principes, ut duo illi Reges, neque a Jesuitis exemptos arbitror facilius pleraque obtenturum, licet divinem, imposterum nihil posse bene agi. Ita res in magnis periculis versantur. Redeo ad Jesuitarum doctrinam. Si ista Theologorum societas aliquid contra eos scripserit, classicum cecinerit; namque damnabit doctrinam hæresis, uteturque Decreto Constantiensi. Id duabus de caussis Romæ male accipient; primum quod ea doctrina damnetur, quam illi probant; deinde quod Constantiense habeatur pro legitimo Concilio. Ex his initiis fortasse id eveniet, ut sicut olim non prorsus convenit Sorbona cum Romana doctrina, & nunc aliter sapere incipiat. Quod si fiet hoc tempore forte inter Ecclesias Romanam & Gallicam controversia agetur,

tur,

tur; quod vobis initium perfectæ libertatis, nobis exemplum erit. Id licet optandum magis quam ſperandum videam, me ipſum tamen fallo, ut interim gaudeam; nihil enim cordi mihi magis, quam ut hoc importabile onus levius fiat. Siquid de hac materia ſcribetur, ad vos perveniet; verum interim dum tractatur, & diſcutitur, te rogatum velim, ut quidquid ſit quod agetur, mihi ſignifices. Pro tuis primo Junii datis, quas per hunc Tabellarium recepi; maximas gratias ago, & Deum rogo, ut omnia tua cœpta fortunet, ac te diutiſſime incolumem ſervet. Vale.

Venetiis 22. Junii 1610.

# EPISTOLA XXXII.

## AD EUMDEM.

Binas a te literas habeo 29. Junii, & 10. Julii; nam priores ſerius accepi, quoniam Tabellarius ordinarius non detulit faſciculum D. Legati, ſed alius, qui duobus diebus poſt diſceſſum Ordinarii huc appulit. Ambabus hoc uno reſponſo ſatisfaciam. Unde Regis interitus prodierit, ſatis indicant, qui lætati ſunt, qui factum laudarunt, qui faciendum prædixerunt, & licet paſſim dicatur, neminem a Sicario nominatum auctorem, ego tamen, quod credendum

dum eſt, credo nempe, eos id ſcire, quos decet; nec enim e re Regni eſſe videtur, ut ea nunc palam fiant. Numquam Romana Curia Doctrinam Jeſuitarum damnabit; eſt enim arcanum ejus imperii, idque ſummum, & maximum, quo e medio tolluntur, qui audent palam illud non adorare, & in timore, ac in officio continentur; qui auderent, niſi timerent. Quod ad Jeſuitas attinet, bene quidam eorum dixit; *Jeſuita eſt omnis homo:* Chamæleontem habes. Legi quæ de eo argumento Cottonus ſcripſit. Mitto ineptas adulationes, quibus Opuſculum ſcatet; totum æquivocationibus laborat; numquam enim ſenſum ſuæ Societatis aperit, niſi ut poſſit in utramque partem, ut oportuerit, dicta convertere. Nihil dicit, ſi Rex fuerit alterius Religionis, ſi faverit eis, qui Religionem Romanam non recipiunt, ſi a Papa fuerit excommunicatus, vel privatus, vel interfici juſſus. Hæc erant explicanda; verum cui bono? Numquam ita clare loquentur, quin ſervatus ſit aliquis angulus, ubi abſcondere poſſint. Illis ego numquam credam, donec meminero Bellarmini, & Richeomi. Hic coactus ſtricta interrogatione ab Auctore Franci, & ingenui Commentarii, quid facerent Jeſuitæ, ſi Papa aliquis Regem Galliarum perſequeretur, ut Julius II. Ludovicum XII., reſpondit libere, eos facturos, quod boni Franci tunc fecerunt, quod cum Bellarmino objeciſſem, ille reſpondit, me non aſſecutum mentem tanti Patris; namque bonos Francos ille intellexit, qui Papæ adhæ-

ſe-

ferunt. Quomodo hos Protheos tenere unquam poterimus, quibus licet mentiri nomen, professionem, habitum, qui mendacia non excusant tantum, sed & laudant, & qui omnia licere censent, quæ ad finem bonum referri censent? Dixeram, Marianam jocum esse, si cum aliis Jesuitis conferatur, & Suarez nominavi: locum requiris, est in disput. 15. quæst. 6. Ibi habet, subditis licere contra Principem suum armari, nedum si Papa jusserit, aut concesserit, sed etiam sub ratihabitione; si putaverint, Papæ gratum, & probatum fore, licet non ausus fuerit mentem suam aperire. Ibidem videbis, quod maxime execrandum est; cum quis excommunicatus est, jurisdictione esse suspensum, etsi non sit denunciatus; in voluntate Subditorum esse, an obediant, vel secus. In tanto excommunicationum numero, præsertim earum quæ in Bulla Cœnæ Domini, quem Principem invenies, quem superstitiosus non subiiciet quindecim aut viginti excommunicationibus? Pater Comitolus Jesuita scripto monuit Venetam Rempublicam, quod 36. excommunicationibus esset subjecta. Nunc si subditis licet subjici, & rebellare, ut voluerint, quoniam non est denunciata, precarium Imperium obtinet. Mariana rhetoricatur. Eo modo nunc formantur Conscientiæ. Sed ab his maxime cavendum, qui per conclusiones, probationes, & solutiones docent. His sunt perniciosiores. Miror Episcopum illum Claramontanum ut antiqui juris Ecclesiastici parum gnarum. Cur enim non sunt

dam-

damnandæ hæreses in locis , ubi oriuntur , & divulgantur ! Numquam peregrina medicina morbi recte curantur . Petitio , quam Regium Consilium Papæ obtulit , ut Decretum Facultatis Theologiæ probet , neque grata erit , neque exaudietur . Obstat imprimis Concilii Constantiensis mentio , quod neque probari , neque emendari inter arcana habemus . Obstant multa alia , quibus fundamenta tentari bene novit Curia ; non negabitur , neque concedetur , sed res procrastinationibus differetur , donec aliqua emergant . quæ evasioni viam aperiant . Rem mihi maxime gratam fecisti , quod integram historiam damnationis Marianicæ , & consequutorum Opuscula complexus fueris . Rogo , ut siquid ultra acciderit , significare non graveris . Libellus de oculariis Instrumentis non est impressus huc usque . Auctor incumbit figuris incidendis , quibus in sensuum suorum explicatione opus habet statim impressum ad te mittam . Non possum ad Jesuitas non redire . Jam in Italia perspectum nobis est , eos ex Confessione artem fecisse . Numquam quemquam audiunt , quin omnia dicta factaque inter se conferant , quo deliberant , si quid utilitatis pro Sancta Ecclesia , vel pro Societate haurire possint . Ceterum tantum esse confessionis arcanum aliis prædicant , ut neque Confitenti propalare liceat , si quid Confessarius com eo tractaverit , quod tamen nedum ad peccata , sed neque ad animæ salutem pertineat , & quod pejus est , ea doctrina passim omnibus Confessariis probatur , quoniam imperio

rio

rio servando prodest, & illi possunt quæcumque voluerint, libere tractare. Contra hanc doctrinam pugno, quantum possum; sed illa altiores radices egit in animis Religiosorum ob humilitatem, aliorum vero ob superstitionem. Numquam finis esset, si Jesuiticarum Maximarum omnium mentio habenda foret. Rogandus Deus, ut pestem ex orbe eliminet, quam etiam rogo, ut te, Vir Excellentissime, servet incolumem. Gaudeo D. Casaubonum ereptum ex iis periculis. Te obsecro, ut meo nomine gratuleris, ac salutem plurimam dicas. Vale.

Venetiis 3. Augusti 1610.

## EPISTOLA XXXIII.

### AD EUMDEM.

Literas tuas 24. Augusti summa voluptate legi. Gavisus sum, quod technis Jesuitarum aperiendis operam impendas, nam illorum seditiosam & sceleratam doctrinam omnibus aperire necesse est, ut ab eorum insidiis tuti esse possimus. Id, quod de Regicidio docent, perniciosissimum dogma est, fateor, quia inde Rerum publicarum subversio; at id, quod docent, licere verborum æquivocatione, & mentali reservatione uti absque peccato, qua doctrina omne humanum commercium tollitur, & ars

ars fallendi, qua nihil perniciosius in virtute ponitur, ausim, inquam, dicere, hanc doctrinam ea, quæ de Regibus occidendis est, perniciosiorem esse. Quid enim cum illis agas, aut tractes, qui mendacia specie virtutis obtegunt? Cotto defendit Societatem suam a crimine Regicidii. Ego subesse æquivocationes, & evasiones multas non dubito, &, cum e re erit, illas in apertum pro excusatione proferendas, ut Bellarminus Richeomum excusaverit, de qua re cum loca quæras, dicam. Ego Richeomum Bellarmino objeci in Apologia pro Gersone in definitione Considerationis decimæ fol. Edit. Ven. 33. Bellarminus respondet, ut monui, in libello, quem inscripsit: *Risposta al Trattato de' sette Teologi di Venezia*, in responsione ad 19. propositionem fere in fine libelli, in Edit. Bononiensi est p. 52 De ea re iterum a nobis actum in libello inscripto *Confermazione* fol. 309. Edit. Ven. quæ non tantum ostendunt, ut captione verborum Regi illuserint adhuc juveni, & rerum potienti, sed illud magis neminem posse eorum verbis licet maxime mellitis fidere. Quid Regius Procurator dixerat, eo magis timendos eminus, quam cominus, id nos experimur in præsentiarum. Non possunt Rempublicam obtruncare, aut jugulare, quæ uni homini non innititur; verum ex nostris civitatibus majorem pecuniarum summam, quam cum præsentes essent. Doctrinam de Papæ omnipotentia, & cæca obedientia per emissarios etiam mer-

cede

cede conductos docent diligentius, & quod omnium est pessimum, odia inter familias, & seditiones inter Ordines disseminant. Ingenue inquam, nobis magis quam olim obsunt; tunc namque nos non oderant, & servatos volebant, ut plura & diutius haberent, nobisque uterentur, & dominarentur; nunc odere, funditus perire cupiunt, ne prorsus sint, qui dominationem eorum aspernantur; neque nobis spes, nisi Deus ipse succurrat. De Italiæ rebus sententiam meam rogas: dicam ingenue. Si qua in re mentem cohibeo, hæc est ex primis, neque puto eos, qui maxime in Politicis versantur, & quorum maxime interest, posse quicquam conjicere; jam enim nemo agit, quod prudentes agerent, sed quod illi, quorum mores, & ingenia non bene novimus. Habent Hispani in Mediolanensi Ducatu 12000. Italorum peditum, 6000. Germanorum, & 6000. Helvetiorum, & 2000. Valonum, 600. Equites Burgundiones, & 1500. Italos. Nullus est in Italia Dux, qui eum exercitum regendi peritiam habeat, ex Hispanis inquam, neque pecuniam habent, qua stipendia solvere possint; sed aluntur milites populorum expensis cum regionis maxima devastatione. Dux Sabaudiæ habet milites ad 16000. partim ex suis subditis partim ex Helvetiis. Dux non potest Hispanum aggredi, ut potentiorem. Hispanus non potest aggredi Ducem, quia caret pecuniis, quæ ad movendum militem sunt necessariæ, & Duce exercitus. Hyems instat. Si Hispanus per eam mili-

tem

tem ſub ſignis retinuerit, actum de Mediolanenſi Ducatu; procul dubio deſolabitur. Si vero exauctoraverit, omnem dignitatem amiſerit, quod tot expenſis, tot viribus nihil prorſus effecerit; ſed Sabaudus res ſuas, & dignitatem, ac libertatem ſervaverit. Deſtinat Sabaudus ſecundum ex Filiis in Hiſpaniam ad Regem, ut cum illo de concordia agat; ſed quando miſſurus ſit, & an omnino miſſurus ſit, mihi incertum, præſertim quod iter præſcripſit non maritimum, ut aſſolet, ſed terreſtre per Galliam, quare & prolixius, & unde ex cœpto revocari poſſit. Hæc in aperto: quæ autem in occulto, ita habentur. Hiſpanus prorſus bellum nollet; ſcit autem, nihil poſſe ultra in Italia adipiſci, verum amiſſionem acquiſitorum eſſe perfacilem. Arma primum expedivit; ut Ducem deterreret, & cum videret non timentem, auxit, ut tandem id perficeret. Modo cum adhuc non timeat, Hiſpanus lupum auribus tenet. Deſiſtere a propoſito indignum, proſequi arduum, & anceps. Sabaudus, quantum poterit, libertatem ſuam eſt ſervaturus, neque aſſenſurus, ut miles Hiſpanus in ſua præſentia recipiatur, quod illi petunt; ſed præterea ſua non ſatis ſibi ſunt, ſi poſſet; bellum ipſe inciperet. Quod poſſidet, nihil æſtimat, alienis inhiat, Gallica expertus eſt, ut Genevam; vellet modo Italica, ut faciliora experiri. Dubio procul omnibus opportunitatibus erit intentus, & quælibet ſpes incitamentum erit. Quod attinet ad reliquos Principes, Papa, & Curia Romana, quantum po-

te-

terunt, bellum extra Italiam volent; nam inter arma Inquisitio cessaret, impleretur Italia militibus a Romana Religione abhorrentibus, neque dubium est, actum de Curiæ Romanæ potentia, si bellum in Italia per duos annos vigeat. Florentinus Dux duabus mulieribus regitur, Austriaca, & Lotharingia; quare eamdem puta ejus, & Hispani mentem, eumdem etiam scopum esse. Respublica Veneta pacem amat, & a bello abhorret; omnia actura, ut pax servetur. Si tamen, ea invita, alii ad bellum cucurrerint, illa omnia aget, quæ pro libertate Italiæ erunt, neque laboribus, neque impensis parcitura. Modo ita a bello abest, ut neque bona verba Sabaudo dare vellet, ne ille eis fretus majora contra Hispanos audeat, & illos etiam lacessat, vel majores occasiones præbeat, quo illi cogantur arma expedire. Interim Resp. arces suas magis munivit, & quantum armorum censuit necessarium pro defensione suæ ditionis, expedivit. Verum si Hispanus militem per hyemem retinuerit, & ipsa in vere justum exercitum conscribet. Tandem uno verbo, vel omnes, qui in Italia possident, a bello abhorrent, vel solus Sabaudus ageret, si occasio daretur. Is rerum status; sed interim memineris, non ea semper evenire, quæ homines vellent, fataque volentes ducere, & nolentes trahere. Quod tibi ais non constare de Corinthiacæ Ecclesiæ impuritate, non miror. Ii enim sumus, & merito, qui antiquitati deferamus, & e re humana est, ut id ab omnibus fiat; provocandi namque

N exem-

exemplis ſumus. Verum ego impuram dixi advertens, quæ S. Paulus illis objecerit; namque ſi de charitate agitur, ſchiſmata, & contentiones erant inter eos, qui in 1. & 2. cap. neque leves, ſed quæ Chriſtum diviſiſſent; ſi de moribus c. 5. auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter gentes; ſi de ritibus cap. 11. jam non eſt Dominicam Cœnam manducare; ſi autem de doctrina, quod credo exſpectabas, cap. 15. quoniam quidam dicunt in vobis, quod reſurrectio mortuorum non eſt. Illud memineris inter omnes Scriptores neminem in reprehendendo Divo Paulo modeſtiorem, & reliquas ejus reprehenſiones obſervans cenſebis procul dubio hæc quantum fieri potuit extenuata. Sed de loco Divi Pauli, ubi de ædificio in fundamento fidei erecto, non me latet quo detorqueatur a pleriſque, quorum quidam ædificari volunt opera, non doctrinam, alii doctrinam quidem, ſed curioſam. Hæc tempora vel Democrito, vel Heraclito indigent. Omnia examinamus ex veterum ſcriptis, ac doctrina, verum ſignificationem omnium vocum illius uſitatarum mutavimus. Jam non idem apud nos, quod apud illos ſignificat Papa, Cardinalis, Diaconus, Eccleſia, Catholicus, Hæreticus, Martyr. Quid aliud dicam? Omnia pervertimus, & dum antiquorum monumenta producere profitemur, noſtra proferimus. Sed ego te diu his nugis detinui, & horas in potioribus conſumere prohibui. Scribere cœpi ea mente, ut brevis eſſem, ſed neſcio quomodo calamus ultra diſ-

discurrit, & animum abripuit : quæ sine cura scripta rogo ut excuses . Vicem D. Casauboni doleo ; sed illum velim divino beneplacito acquiescere ; nam sæpe in melius adversa, & in deterius optata feruntur. Nemo scire potest quo Deus hæc initia destinaverit. Nobis ille orandus est humanis affectibus, & ferendum patienter est, si nos divinis rationibus exaudiat. Rogo te, ut illum meo nomine soleris, & meliora sperare jubeas, & præsentia qualiacumque fuerint in bonum vertere. Rogo te, ut D. Gillot, quem toto animo observo, & colo, meo nomine plurimum salvere jubeas, Deumque precor, ut vobis omnes horas fortunet. Vale.

Venetiis 14. Septembris 1610.

## EPISTOLA XXXIV.

### AD EUMDEM.

EXistimabam ego, Jesuitas in Regno Franciæ retineri sola voluntate Regis nuper defuncti. Nunc cum illos videam post illius mortem audere plura, & majora, vobis, ac vestræ Ecclesiæ, ac libertati timeo. Illos novi probe edoctos, quomodo prospera fortuna uti oporteat. Vela certe numquam contrahent, neque ulla occasio ex illorum manibus effugiet. Libellum Universitatis nomine scriptum

legi , & Auctoris ingenium , & prudentiam commendo ; verum Jesuitæ rumoribus non dimoventur : pergent , cœptis insistent , & si quis serio illos oppugnet , non desistent . Illos umbratili pugna provocare est ad verum bellum inducere . Nescio quemquam loca Auctorum collegisse , qui Principum internecionem probant . Ego in multis ex illa Societate legisse memini , verum loca non annotavi , quia ea doctrina in Italia, ubi Jesuitæ dominantur , passim ab omnibus defenditur . Hic ubi Princeps non unico corpore vivit , non timemus . Reliqui Itali Principes , ut Jesuitarum filii tuti manent , sed Bellarminus nuper libellum edidit contra Barclajum , specie defendendi , quæ Barclajus ex ipsius doctrina oppugnavit ; verum , ut ego arbitror , quo doctrinam de Papæ omnipotentia proprio & peculiari libello evulgaret . Ibi potestatem excommunicandi Principes , solvendi subditos a juramento , & obedientia, privandi etiam Dominiis , & Imperiis , nedum ob culpam , sed & quamcumque ob caussam visam Papæ , tamquam Fidei articulum defendit , non sine injuriis & contumeliis in contrasentientes , quos plusquam hæreticos pronunciat . Plusquam centies inculcat, legem esse Dei , & naturæ , ut Principi pareatur ; jussisse etiam Dominum , ut Cæsari redderent, quæ Cæsaris sunt ; verum id intelligi de eo , qui vere Princeps est , & vere Cæsar ; sed qui privatur a Papa , non est jam ultra Princeps ; quapropter illi non esse pa-

ren-

parendum. At Papa nunquam jubet, ne Principi obediatur, sed de Principe facit non Principem, cui propterea obedientia non debetur. Quid tibi videtur? Docet sæpe, Papam non modo de Regnis & Dominiis, sed de rebus quibuscumque Christianorum omnium ita disponere posse, ut bona Ecclesiæ fore censuerit. Retractat etiam propriam sententiam, quam sæpe libris olim impressis defendit, nempe, Clericos jure subjectos fuisse Principibus, & modo constanter asserit, solo facto, nullo jure fuisse subditos. Denique si huic libello creditur, ut illi timeo credendum, ausim dicere, Papam non æquandum modo, sed præponendum Deo. Quantá vero petulantia, & qua fronte utantur, satis expressum erit hoc uno verbo, plusquam Jesuitica. Exiit in lucem libellus non ante decem dies: nescio an, quibus incumbit, permissum sit, ut in hanc Civitatem & Dominium importetur. Ego conjicio, nec sine firmis argumentis, audita Regis Henrici morte cœptum fuisse consilium Romæ de eo libro conscribendo, ut materia pararetur novis ausibus ad amissam existimationem recuperandam. Ita stomachum, & bilem movet hic libellus, ut de eo dicendi finem facere non possim. Audio Barclaii filium superesse virum eruditum, & acrem. Illum arbitror injuriam paternam non laturum impune, & hinc spero, petulantiam coërcendam; alias invitus ferrem frænum, quo ea agere prohibeor, quæ pro veritatis defensione agenda viderentur. Diu te detinui; tempus

est, ut hac molestia te exsolvam. Rogo te, ut de his, quæ in caussa Jesuitarum judicata fuerint, suo tempore me certiorem facias, ac D. Gillot plurimam salutem meo nomine dicas. Vale.

Venetiis 28. Septembris 1610.

## EPISTOLA XXXV.

### AD EUMDEM.

EX tuis literis 15. Octobris plane perspexi, qui status sit Iesuitarum cum ista Universitate. Utinam Senatus ille sequatur id, quod bonis auspiciis Nemausi cœptum fuit, procul dubio non juventuti tantummodo, sed & toti Regno profuturum. Si Jesuitæ isthic docuerint, brevi Universitas tota ab illis pendebit, & bonarum literarum interitus non poterit præcaveri. Sed quid bonas literas memoro? bonam, & sanam doctrinam mihi dicendum erat, cujus Societas est vera pestis. Auctor libelli supplicis nomine Universitatis emissi arcanum aperit de summa potestate Ecclesiastica, quæ si a Concilio auferatur, & Papæ tradatur, non poterunt Principes vincula profugere (parum fuerit dixisse servitutem). Utinam Senatus ad hoc, & ad alia doctrinæ capita animum advertat; nam quod tentant nobis modo obtrudere etiam summam

Po-

Poteſtatem Regiam Papalem, illud non minus pertimeſcendum. Quod Bellarminus tentavit, ne putes factum abſque publico conſilio, de hoc certi ſumus, & quo progredi etiam ulterius cogitarunt non ignoramus. Sed quod obviam fuit impedimentum, mutare conſilia cœpit; quod ſi a vobis aliquid fieri, procul dubio & noſtri confirmarentur, & conatibus adverſariorum ardentibus obviam irent; decretum ea de re hic non eſt per præconem, ut moris, pronunciatum, ut exemplar ad te mittere poſſim; ſed verbo tenus his, ad quos pertinet, intimatum; tibi cauſſam aperiam: raro evenit, ut auctoritate ſæculari liber aliquis prohibitus fuerit; quoniam non erant aperti inſidiatores, quare neque Dominantes obſervabant quod quiſque ſcriberet, ſoli Eccleſiaſtici ei rei incumbebant; poſtquam cum Romanis concurſum eſt, manu tetigerunt quantum detrimenti ex pravis ſcriptis Reſpublica patiatur, viſumque ſatis eſſet, ſi libris imprimendis, & importandis cura adhiberetur, & id agi & proſequi cœptum: cum exiit Præfatio Regis Angli in Apologiam pro juramento fidelitatis, Nuntius Pontificis ſugeſſit Principi Librum fore magni contra Religionem detrimenti, & tamen paſſim ob nominis ſplendorem evulgandum; re deliberata ſtatutum fuit, ut mandaretur Bibliopolis, ne librum importarent, idque ſecreto ob Regis amici dignitatem: (dicam per interpoſitionem: ſi in eo Libro nihil tractatum fuiſſet, niſi quod in Apologia, nihil unquam Nuntius obtinuiſſet, ſed timebatur ab

N 4 ea,

ea, quæ agit de Purgatorio, Imaginibus Sanctorum, Veneratione divæ Virginis præsertim, ad quam nos Veneti maxime propensi, & devoti sumus. Apologia ante sex Menses venerat libere, neque unquam vetita) ad rem redeo. Prodiit post hæc Bellarmini responsio adversus Regem; statimque decretum fuit, ne importaretur. Visum enim dicere, ut quod actum erat de Regio Libro, idem fieret de adverso. Verum ne videretur ita existimari Cardinalis, ac Rex, hæc prohibitio facta fuit sub triremium pœna, ut prior solum præceptum absque pœna continebat. Legatus Anglus nihil unquam dixit, qui si conquestus esset, vel decretum postulasset. Satis dixi; sæpe omittimus magna, dum minime spernere videri volumus. Nunc cum in lucem exiit Bellarmini Liber contra Barclajum, & deliberari cœptum, sequuti sunt præjudicium, ut ageretur sicuti prius, & intimatum Bibliopolis in pœnam triremium, ne importarent, venderent, & Tabellariis, qui Roma adveniunt, ne libros aliquibus exhiberent a se portatos, ni prius viderentur a deputatis; hoc actum, nec sine animo majora agendi. Romæ neque Papa neque Cardinalis quidquam dixere, neque conquesti sunt; secunda plebs Clericorum obmurmuravit contra Venetos, quod manus & os in cœlum mitterent; addidere, ut solent, notam hæreseos, & alia nomina, quæ tribuere solent his, qui negant Papam Deo fere parem. His videor tibi actorum rationem veram reddidisse, & quid de nobis sperandum sit aperuisse.

ſe. In Hiſpania vir quidam doctus & prudens ſcripſit contra Baronium de Monarchia Siciliæ; Legatus Hiſpanus Romæ degens juſſit exemplar eo afferri, & Sodali cuidam Franciſcano Cordigero dedit, ut in Italicum verteret; id auditum Pontifici, qui ſtatim juſſit Sodalem in vincula duci; ille monitus aufugit, & in domo Legati ſervatus eſt. Papa cum Legato acriter & acerbe conqueſtus fuit; quid tandem effectum fuerit neſcio, niſi quod Sodalis Roma incolumis evaſit in Neapolitanum Regnum; quod tibi narro, ut perſpicias quam ſolliciti ſint illi ad ſua quo jure, quave injuria tutanda, & ut reliqui negligentiæ arguantur, qui magna ſpernunt, cum ipſi minima non negligant. Quæ cum noſtris objicimus, illi omnia in bonum vertunt, ſilentiumque, quo Papa & Cardinales uſi ſunt, modeſtiam interpretantur, nec magis provocandos cenſent. Quod Neamuſi actum fuit magni æſtimo, & ſi forte quidquam agatur iſthic, nobis animos addideritis; tibi dicam uno verbo. Noſtri omnes Curiæ Romanæ inſenſi ſunt, oderunt aliqui abuſus, alii ferendos cenſent, ut matris deliria. Sed contra Jeſuitas omnes ſunt concordes. Utinam faveat Deus, quem etiam rogo, ut te, Vir Excellentiſſime, ſervet incolumem, & animo valentem ad peſtes profligandas; neque enim ſpes abjicienda boni eventus, modo ſegnitie non vincamur, & adverſariorum curam æmulemur. Rogo, ut domino Gillot meo nomine, cum caſu videris, ſalvere jubeas. Vale.

Venetiis 25. Novembris 1610.

EPIS-

# EPISTOLA XXXVI.

## AD EUMDEM.

Binas a te per Tabellarium accepi literas, priores 4. Octobris, alias 5. Novembris; miror, cur tam sero ad me pervenerint, illæ præsertim, quæ ante duos menses fuerunt, cum a d. Cast. semper intra 15. dies recipiam; eam dilationem ægerrime tuli, præsertim ob ea, quæ de decreto Comitis Limosii scripsisti, de quo hactenus a nobis nihil est auditum, & jam de re tota certior factus essem, si literas in tempore recepissem; ista res tam magni momenti mihi visa est; ut nihil unquam uspiam actum esse magis e re publica censeam: & non possum non mirari, quod tantum (dicam) benefactum tamdiu latuerit nos; quam vellem verum esse, sed timeo, ne isthuc sit in majus relatum, neque aliud novi factum tantum exequatur de ordinario, de quo Pontifices sæpe conqueruntur, licet absque spe quicquam obtinendi; ne dici possit cum illorum scientia & patientia usu captum; non abibit hic annus quod de tota re certior factus sim, atque de ea re ad te statim perscribam. De Bellarmini libro tibi uno verbo dicam. Est Epinicion ob mortem Regis: & quid aliud censere potest, qui tempus ac ceteras circumstantias animadvertit? Si ob doctrinam de Papa supra Concilium censuit Universitas,

ſitas, vel qui pro ea ſcripſit ( quem tota Univerſitate non minoris æſtimo ) quid cenſendum eſt de ea doctrina, quæ Regibus dat non modo Regna precario, ſed & vitam ipſam? Audio Nuncium iſtum conqueſtum de eo, quod liber a Prætore Urbano vetitus fuerit, addidiſſe concedere ſe ut ab aliis in contrariam ſententiam ſcribatur: ego vellem potius librum communi ſententia Univerſitatis damnari, quam privatorum ſcriptis confutari. Verum ſi primum obtineri non potuit, ſaltem efficiendum eſt, licet ego non dubitem, ſi quod ſcribatur, Romæ ſtatim damnatum iri; ſed tamen interim præjudicium non tam magnum irrogaretur contradicentibus, ac tacentibus; utinam nobis liceret in ea quæſtione noſtrum ſenſum exprimere, utinam particula libertatis veſtræ uteremur! noſtra non quidem veſtris æquanda eſſent, ſed tamen auribus Italicis eſſent accommodatiora. Ego id divino fore, ut tamen omnes controverſiæ, quæ de Religione orbem turbant, in hanc unam, quæ de Papæ poteſtate eſt, deſinant. Dum librum Bellarmini ſupprimere volunt, illius curſum promovent, ita modo ab omnibus deſideratur. Ego his totis diebus laboravi, ut tibi exemplar expiſcarem & ſummo dolore ſæpe deſperavi poſſe obtinere; tamdem hoc obtinui, quod & mitto, ablatum ab Amico, qui ut theſaurum ſervabat. Hoc miror, cur Nuntius iſthic tantas lites moverit, cum noſter os non aperuerit, neque Papa Legato hujus Principis quidquam dixerit. Cogor invitus ob inſtantem

Ta-

Tabellarii discessum has literas claudere, te obsecrans, ut quidquid isthic gestum fuerit de hac re, actum, vel dictum, ad me minutatim perscribas, & si quod decretum in scriptis vel a Sorbona, vel a Parlamento, exemplar mittas. Vale, & me ut soles dilige.

Venetiis 7. Decembris 1610.

P. S. Hic passim legitur libellus ad Reginam pro Universitate, in Italicum interpretatus, & nescio ubi impressus, cujus exemplar ad te mitto.

---

## EPISTOLA XXXVII.

### AD EUMDEM.

BEllarmini librum, quem jam mensis est per Tabellarium misi, recepisse te puto. Ego Arresti exemplar, quod Senatus iste civiliter, & ut Francicam libertatem decebat, pronunciavit, cum tuis postremis literis accepi: actum procul dubio a Senatu, ut e Republica erat; faxit Deus, ut quæ postea consecuta sunt in bonum vergant, nam ubi qui fundamenta Regni tueri debent, illa labefactata volunt, restat ut Imperium in se ipsum ruat. Utinam ego sim falsus vates. Sed de his satis. Romam, & Neapolim scripsi, ut certior fie-

fierem de Vice-Regis Neapolitani decreto. Roma respondent nihil tale ipsis auditum. Neapoli nondum mihi rescriptum. Hujus decreti exemplar non minus, quam tu, desidero. Si tamen prodit, non dubito famam isthuc id magis attulisse. Quidquid sit quod actum fuit Neapoli, procul dubio significabitur mihi, & quidquid fuerit ad te perscribam. Ægerrime fero discessum e Francia D.Foscareni, per quem hoc literarum commercium exercemus; quod modo paululum interrumpere cogimur, donec aliam tutam viam aperuero, quod brevi futurum spero. Interim in tui memoriam esse perpetuo velim. Pax inter Hispanum Regem & ducem Sabaudiæ a vobis jam audita est, modo utraque pars est in dimittendis militibus, nisi Clivense negotium obstiterit. Pacem fore inter Christianos omnes passim creditur, ac credi par est, dum Reges pupilli sunt, quod non Franciæ soli accidit, nisi quod iste adolescet,alii sic perpetuo manebunt. Obtinerunt Hispani pretio Arcem & portum celebrem in Africa extra Columnas, nescio an consensu omnium, qui contraniti possunt; quare ibi quid etiam turbarum oriturum arbitror. Saltem cogentur Hispani multa expendere in loco tuendo, & servando, ac non sine timore semper manendi. Non potest hæc epistola sine Jesuitis desinere. Illi omni ope nituntur, ut Anticotton in hac Civitate venundetur, prohibeatur cum aliis opusculis adversus eorum sectam isthic scriptis, quæ in Italicum interpretata.

Huc

Huc ſatis in bono numero importata fuere; omnia, ut id aſſequantur, Romæ movent, & Miniſtri Pontificii hic omnia agunt; an aſſecuturi ſint, neſcio, præſertim quia multi ob ea, quæ iſthic acta fuere, animos demiſerunt: ſed tamen tot exemplaria huc uſque diſſeminata ſunt, ut ſi quid obtinebunt futurum ſit pluvia poſt incendium. Nollent Regis magni interitum, eorum doctrina, ſi non dolis curatum, ſine fructu ſibi fore: moliuntur cuncta, quo deſtinata præda non fruſtrentur: orbis quidem parvus eſt tantæ ingluviei, verum partes temporibus diviſere; neſcio ad quos primum inhient, an ad nos, an ad vos; ſed procul dubio utrimque aciem dirigunt; vident Regis mortem inultam, eo magis confidunt non ſine fructu futuram. Verum omnibus conſiliis divina ſupereminent: in Deum ſpero eos multo minus quam putent effecturos, cujus majeſtatem deprecor, ut te perpetuo ſervet incolumem, ac Eccleſiæ, & Reipublicæ inſervientem ac me amantem. Vale.

Venetiis 4. Januarii 1611.

EPIS-

# EPISTOLA XXXVIII.

## AD EUMDEM.

TAmdem mihi rescripsit Neapoli amicus, a quo perquisiveram, si quid novi statuisset Comes Lemosii de Regio *exequatur*, quod extensum audiveram ad obituros munera Prædicatorum, & Confessorum; dixitque morem esse Madridii, & ubicumque Curia Regis Hispaniarum moratur, ut Prædicatores non petant veniam concionandi, & benedictionem ab Ordinariis, sed a Regis Confessario, quem morem in Civitatem Neapolitanam Comes Lemosii inducere voluit; cumque Archiepiscopus contra pugnaret innixus decretis Concilii Tridentini, & diuturnæ Neapolitanæ consuetudini, & Comes Imperio uti vellet, negotium Romam ab Archiepiscopum dalatum fuit, & inter Pontificem & Legatum Regium Comitis fratrem diu tractatum; tandemque ita compositum ut Prædicatores literas licentiæ, & benedictionem ab Ordinario juxta morem obtinerent; ceterum si ex Prædicatoribus aliquis vellet officii gratia Confessarium Vice-Regis adire, non prohiberetur, & ita servari testatur Amicus, quibusdam adeuntibus Confessarium, aliis adire recusantibus, inter quos Jesuitæ: addit Amicus non potuisse certo scire, an Vice-Regis decretum in scriptis redactum fuerit, sed perquisiturum; & si invene-

nerint ad me exemplar missurum. Ego ad tuas per hunc Tabellarium, & per eum, qui præcessit, non respondeo, donec rationem ineam, qua possim tuto literas mittere. Interim te plurimum valere, & mei memorem esse maxime opto. Vale.

Venetiis 1. Februarii 1611.

---

# EPISTOLA XXXIX.

## AD EUMDEM.

Sicut intermissum nostrarum literarum commercium ægerrime tuli, ita literas tuas 6. Octobris summa cum voluptate vidi. Auctæ sunt vires & animus hostium, ut cogamur & majori cautione uti, & sæpe dissimulatione, non illa quidem Jesuitica, quæ purum & merum mendacium est, sed ea, quæ taciturnitate & silentio valet. Spero isti Legato nostro brevi succedendum, & forte casuram in optimum Virum, per quem poterimus tuto per literas agere; interim ut ego a domino Lislæo literas aliquando accipio, ita gratiores accipiam, si tuis comitatæ venient; verum hoc dolet, quod si prius tuæ Aurelianum mittendæ erunt, ut huc isthic redeant, & meis tantumdem itineris conficiendum sit, epulas habebimus cœna perfecta. Verum dum, quæ volumus, non possumus, quæ possu-

possumus velle sapientis est . Habuimus recens Romæ mortes duas maxime memorandas . Prima fuit Guillelmi Rebauli , qui abjurata Religione Reformata Romæ his postremis annis vixit ; hic Curiæ per fas & nefas inservivit , & ut ingenio valebat ad detrahendum aptissimo , ita plura adversus Reformatos , & pro Romanis scripsit . Inter cetera libellum adversus magnæ Britanniæ Regem composuit , quem hoc titulo inscripsit : Rex , & Lex Angliæ debellati ; quo libello nihil unquam petulantius videre memini ; tandem ob vulgatum scomma quoddam in primarium Virum e Regiis Ministris Franciæ instante Regis Legato in carcerem conjectus fuit ; & ejus scriptis omnibus sublatis , ac pervestigatis inter cetera inventum fuit & quoddam in Pontificem , quod non ut vulgaretur , sed libidine ingenii compositum erat , & eam ob caussam miser capite truncatus fuit . Altera Abbatis du Bois , qui , ut nosti , adversus Jesuitas post Regis mortem concionibus habitis , postea donis corruptus ad partes illorum confugerat ; miser. hic quam ob caussam , & a quibus Florentiam missus fuerit , tibi non ignotum arbitror : incessit illi libido Romam eundi ; nec tamen voluit sine fide publica ; eam postulavit, & Senis permansit , donec acciperet . Cum ea Pontificis manu signata Romam ingressus fuit nona Novembris , & decima dejectus in carcerem , ac 24. laqueo publice in Campo Floræ vitam finivit . Quod publica fides Pontificis non profuerit ; caussa prætenditur lex Inquisitio-

 nis ;

pis; a qua nulla auctoritate quis eximi potest; & tamen sicut is non est primus deceptus fide Romana, ita nec ultimus decipiendus. Arcanum Amico propalare volo. Jesuitæ perspicacissimi prævident modo quæ mala Societati eorum provenire possunt, cum Generalis mortem obibit. Omnibus notum est in Regimine pure Monarchico & novo, quid Rectoris mutatio secum ferret; deliberant modo, ut viventi successorem designent, qui tamen privatus maneat, & vivat, sic tamen ut mortuus vivum in possessionem mittat, velut Rex pater filium. Vide si non omnia prævideant, & provideant. Diutius te his nugis detinere nolo. Summopere gratulor, quod semper valueris, & Deum precor ut semper valeas, & te reverentem ames. Posthac ad te literas hac manu dabo; tibi faciliores lectu erunt, mihi tutiores, Vale.

Venetiis 6. Decembris 1611.

## EPISTOLA XL.

### AD EUMDEM.

Reddite mihi fuerunt literæ tuæ 10. Januarii, quibus nihil jucundius recipere poteram; summopere avebam scire, quid in caussa Jesuitarum decretum fuisset, allata namque fuerant plurima Arresti exemplaria, & omnia diversa, in hoc tamen consentientia, ut decre-

tum

tum potius interloeutorium, quam definitivum videretur; neque exemplar ad te missum omnem ambiguitatem sustulit, adhuc enim mihi videtur Jesuitis adhuc integrum esse iterum petere, de quo, si mihi scrupulum removeris, rem gratissimam facies. Interim tamen magni æstimo quod a celeberrimis advocatis Regis & Universitatis caussa tanta cum libertate & prudentia sit acta; accusatam esse doctrinam, & non personas, maxime probo. Doctrina communis est omnium, virtutes & vitia personas distinguunt. Quod ais usos esse eo directorii Inquisitorum capite, ubi processus secretos fieri jubetur sine ulla citatione, quos damnatio etiam sequitur; executio Crucesignatis occulte committitur, non video, ut Jesuitis imputari possit, cum illi neque in Hispania, neque in Italia Inquisitioni se immisceant; rogo te, perscribas quonam modo in eos accommodaveritis, Verum quod hujusmodi processus in me fabricati sint jam scio, & plures sunt; & eo nomine defendebant Sicarios, qui me aggressi sunt jure fecisse. Per Italiam habet Inquisitio Crucesignatos non multos tamen, cum in Regno Neapolitano nulla sit, & in Civitatibus Reipublicæ ob interventum sæcularis Magistratus non valeant quicquam extra ordinem agere, quibus neque familia armata permittitur, neque ulla prehensio nisi cum decreto Magistratus. Numquam legisse memini formulam juramenti per Crucesignatos præstiti, neque precum quas funderent in bellum ituri, neque unquam mihi

O 2 in

in mentem venit fieri posse, ut hujusmodi juramentis, aut precibus Crucesignati Inquisitorum in præsens utantur, sed non admonuisti surdum: ego eo totus ero, & expiscabor quidquid reconditum fuerit, Libellum ad te missum de potestate Ecclesiastica & politica cum decreto Sorbonæ legi diligentius, eamque doctrinam non omnino probo: mihi inconsistens videtur, &, ut uno verbo dicam, tepida; sed quia plura continet vera & utilia, tamquam principium rei melius gerendæ accipio & spero futurum, ut tandem Sorbona ex his initiis ad sinceram veritatem emergat, quæ ex Codicibus Theodosiano & Justinianeo, & ex historiis priscæ Ecclesiæ tam clare liquet, ut vel cæcis conspicua esse possit. Si libellus Romam delatus est, damnabitur dubio procul, & id quoque proderit, nam cogetur Sorbona sua defendere, & ulterius progredi. Romani nulla alia ratione mundum a somno excitant, nisi cum omnia suo arbitratu dici volunt. Quod ad me attinet in Collegium, eo de more vocor & frequentius, quoniam negotia abundant, nihil ea de re actum, & cogitatum, sed tantum deliberatum in Senatu, an Collegium posset res arcanas in Consilium eorum, qui Consultores appellantur, producere, antequam ad Senatum ferantur, an vero sine Senatus decreto id illis prohibendum foret, & statutum est, ut arcana prius ad Senatum referantur, & ejus Decreto tantummodo, & non aliter liceat in Consilium adducere. Inde forte rumor aliquis ad vos

quem

quem tuæ literæ innuunt de Abbate du Bois; ego quæ scio dicam ingenue. Ille 10. Novembris conjectus fuit in carcerem Inquisitionis, cum e domo Legati Florent. exiret, sublatis ab eo literis Regis, & Brevi Pontificio salviconductus, ut nos dicimus, sine quo noluit e civitate Senarum discedere. Die 24. ejus mensis in ortu solis suspensus fuit in Campo Floræ, & statim e furca depositum cadaver perlatum ad sepulcrum. Ita Roma tunc temporis perscriptum fuit; sequenti hebdomada e domo Legati Regii Franci exiit rumor non esse Abbatem, qui suspensus fuerat, sed alium quemdam. Roma tota risit, & id cum risu nobis perscriptum, eo adhibito quod vir suspensus & statura & facie Abbati similis erat. Ea ambiguitate motus amicum per literas rogavi, ut veritatem significaret, qui respondit hoc certum esse suspensum virum Abbati similem, & creditum ab omnibus Abbatem fuisse, & id adhuc credi, & Iesuitis etiam, si aliquis hæsitet ob contraria dicta Francorum in aurem insusurrari, quod verum fuerit; addidit amicus, in meo arbitratu ponerem, an credendum existimem potuisse in tam celebri loco publice per publicos Ministros occidi virum, quem nemo noverit. Id & ego, ut amici moderationem in affirmando imiter, arbitratu tuo relinquo. Rogo te, Vir Excellentissime, ut in tui memoria semper remaneam, & virtutes tuas admirantem solita benevolentia prosequare.

Venetiis 14. Februarii 1612.

# EPISTOLA XLI.

## AD EUMDEM.

Quod de me sollicitus fueris, ut a summa humanitate venit, ita maximi beneficii loco accipio, & ut mea penitus noris, scias velim, mores nostratum hujusmodi esse, ut qui eo loci sunt, quo nunc ego, gratiam sine vita amittere non possint; fortuitis nemo eximitur, & ego semper ut bonum & fidelem decet me geram; reliqua Deo committo; sed interim miror, unde falsus rumor ad vos pervenerit, & quid sibi velint, qui hoc & similia vulgant. Heri interiit Joannes Marsilius Neapolitanus Presbyter, qui contra Interdictum Pontificium quædam scripsit. Tres medici, qui per decem dies ægrotanti medicinam fecere, veneno extinctum constanter affirmant, adhuc nihil ultra scio. Ego levi quadam manus debilitate laboro, ut e characteris forma videre potes; ea de caussa aliena manu scripsi, & eadem ratione forte cogar ea aliquando uti, sed id puto fore cum minore tua molestia propter earum literarum formam minus invenustam. Vale.

# EPISTOLA XLII.

## AD EUMDEM.

SI Patres Jesuitæ juventutem vestram erudire volunt, vobis licet invitis, neque nostra minus est illis curæ, & nos a vobis edocti, quantum possums, obviam imus. Dei beneplacito actum puto, ut in eadem tempora inciderint, quæ isthic & quæ hic gesta sunt. Decreti recentis, & prioris etiam exemplar ad te mittere volui, quod publicum factum esse ex ipsa lectione cognosces. Ne contra me majus odium concipiant, nolim a me missum sciat aliquis præter D. Gillotium, cui has communes esse rogo, eique salutem plurimam, & precor & dico. Videbitis, ut absentes matronis, & puellis insidientur, ut pecunias colligant. Sed, quod ex Decreto non apparet, addam, plura ex hoc Dominio exules corradunt, quam cum inter nos degerent. De Castiliono, quod dicitur, sic res se habet. Locus est inter Veronam & Brixiam, diœcesis quidem Brixiensis, sed sub dominio Marchionis Gonzagæ, fratris ejus adolescentis, qui vulgo Beatus dicitur: parvam habet arcem, & præterea vicus est, ubi circiter duo millia virorum & mulierum rustici fere omnes degunt, non pauperes modo, sed & miseri. *Jesuitæ* post exilium a Dominio Veneto ibi Collegium erexerunt, & ut

perſpicies ex decreto, non juvenes modo, ſed & juvenculas erudire volunt: ſi, quæ a Brixianis & Veronenſibus colligebant, defecerint, illis vel abeundum erit, vel fame moriendum. Quas in Italia nobis ſtruunt inſidias, nihil eſſe putes ad eas, quas Conſtantinopoli machinantur, omnia agentes, omnia moventes, ut Turcas in nos excitent. Fruſtra eorum conatus ceſſuros ſpero; nemo tamen poteſt Nemeſi non affici, dum hujuſmodi homines ſe Chriſtianos, immo ſolos Chriſtianos profitentur. *Plura* non addam, ſed ſi hæ meæ moleſtæ fuerint, veniam precor, voſque rogo, ut me ſolita benevolentia proſequamini. Valete.

Die 27. Martii 1612.

Cardinalis Jojoſius Roma diſcedit, iſthuc iturus, cauſſam prætendit in vulgus ſe a Regina vocatum. Mihi perſpectum eſt, non aliam eſſe quam ut aliquid contra librum Syndaci decernatur, vel a Clero, vel a Senatu, vel a Sorbona, ſeu quovis alio. Tandem id evincere volunt Romæ, ne videantur eſſe in ea ſententia omnes Franci, qui legitima authoritate, & publico titulo pollent. Hoc ut exploratum habeo, ita pro re comperta ſcribo.

EPIS-

# EPISTOLA XLIII.

## AD EUMDEM.

RIcherius prudenter egiſſe videtur, quod doctrinam Sorbonæ vulgaturus, non proprios ſenſus, ſed communem ſecutus ſit. Secus enim facere, juxta proverbium, eſt fruſtra niti, & odium quærere. Ego tamen ſic ſoleo, ubi aliquid dicendum eſt; integram veritatem præ oculis pono, & ex ea partem deſumo, quæ auribus temporis accommodari poſſit. Iis partibus, quas ſilentio tego, non tamen aliquid contrarium profero; ſemper aperta via maneat, per quam ulterius progredi poſſim, neque mihi ipſi pugnantia dicam. Cum Richerii libellum vidi, magnam concepi ſpem fore, ut in libertatem vindicaremini, & nobis exemplo præiretis; ſollicitus tamen fui, & vere dicam anxius, ne majoris ſervitutis daretur occaſio; nondum tota ſpe decidi, licet literæ tuæ 15. Martii totam eripere videantur, dum narras horrore Pontificiæ indignationis teneri, quos conſtantiores eſſe par fuerat; jam Claſſicum cecinit, jam oportet eſſe qui ſe harum & illarum partium eſſe dicant. Hoc cœptum magnum eſt, & ut in proverbio, initium totius dimidium exiſtit. Cenſura Epiſcoporum iſthic impreſſa huc allata eſt, ſed non vulgabitur in Italia. Papa aſſem totum vult, ſi quis

quis deuncem dederit, æque hæreticus appellatur ob negatam unciam; neque vulgari finit sententias eorum, qui deuncem concedunt magis, quam assem negantium. Sed literæ tuæ innuunt, quod mihi nondum perspectum fuerat, nempe occasionem vulgandi libelli Richerii fuisse, ut ei doctrinæ Jesuitæ subscriberent juxta Senatus Consultum, atque ei Jesuitas subscripsisse; ita mihi in tuis literis legere videor.

Rogo te, ut perscribas, an id publicis documentis constet, & in cujus manus sit libellus a Jesuitis subcriptus. Tibi maximas habeo gratias, quod loca directorii notaveris, unde occulti processus instruantur, & armetur superstitiosorum zelus in bonos ab ea loca: cum primum vacaverit, perlegere statuo, namque modo in negotiis totus sum, & tibi deinde si quid aliud aut legere, aut observare meminerim, præscribam. 27. Martii ad te literas dedi D. Gillotio communes, ubi quid gestum fuerit hic in Jesuitas narravi. Ad D. Gillotium scripsi, scire cupio, an literæ illi redditæ fuerint, ut tranquillo animo esse valeam. Nihil novi habeo, quod ad te scribam, nisi quod Card. Borromæus Mediolan. Archiep. edixit hominibus Villarum quarumdam, quæ in Mediolanensi Diœcesi, sed sub temporali ditione Bergomensi consistunt, ne Rhetos, Grisonos dicimus, hospitio recipiant, aut quicquam commercii cum illis habeant: quo cognito Venetorum Magistratuum Decretum

præ-

præconis voce promulgatum, ut cuique liceat & commercia habere, & hospitio recipere, & indicta mulcta Parochis, qui edictum Cardinalis in suis Ecclesiis publice proposuerunt. Romæ vero Pontifex constitutionem meditatur de Episcoporum residentia. Et Cardinalis Borghesius-nepos ante 6. Menses Archiepiscopus Bononiensis creatus, licet Ecclesia nondum visa, illi renuntiat, assignatis duobus millibus novo Archiepiscopo, & omnibus fructibus sibi retentis, qui summam XVI. millium excedunt. Inter nostros & Ferrarienses rixæ obortæ sunt non leves ob confinia, & utrinque milites colliguntur, nihil tamen mali eventurum spero. D. Gillot plurimam salutem dices meo nomine. Vale.

Venetiis 10. April. 1612.

Decreverunt Hispani, ut Infans Regi vestro desponsata renuntiet omnibus juribus successionis in Hispaniarum; & quia abest ætas, petunt a Papa, ut auctoritate sua ætatem suppleat, & renunciationem confirmet: vide, an hoc sit dispensare in jure naturali. Scire velim, an Richerius subeat aliquod periculum ob libellum emissum, & an protegatur a Curia Parlamenti. Ita desideratur Libellus ille a multis, ut tibi molestus esse cogar, ut aliud exmplar ad me mittas. Vale iterum.

EPIS-

# EPISTOLA LXIV.

## AD UMEDEM.

SUmmo gaudio affectus fui, receptis literis tuis 15. Aprilis ob restitutum inter nos literarum commercium: gavisus sum etiam, quod Syndacus ad appellandum sit admittendus, & quod responsurus sit adversariis, & probaturus ea, quæ in libello proposuit; ex hoc initio spero plura consequenda ad vindicandam Ecclesiæ libertatem. Si acta in caussa appellationis ostenduntur, promissionem de illis tuam ad me mittendis cum actione gratiarum recipio. Episcoporum censura videtur secum ipsa pugnare; quo namque spectat integras reservare Ecclesiæ Gallicanæ libertates, & jura Regia, si libellus damnatur? Quid aliud in eo continetur præter hæc ipsa, quæ integra servari volunt? Romæ non est in publicum emissa, & magis odere reservationem, quam censuram ament; vellentque potius nihil actum esse, quam non omnino pro eis judicatum. De exemplari ejus Censuræ ad me misso tibi gratias ago: pergrata fuit etiam narratio de gestis, & interitu Caroli Ridocovii, de quo si plura etiam scive-ris, omnia ad me mittas rogo, te recepisse arbitror, quæ in exitu Martii de Jesuitis ad te misi. Illos audio non jam inter nos tam seditiose agere, ut solebant, & gaudeo, nisi sit af-

fe-

fectata moderatio; nam nihil agunt unquam, nisi communi consilio deliberatum; in hanc Rempublicam invehuntur per Italiam in concionibus, & omnes machinas movent, ut non verbis tantum, sed & factis obsint, licet absentes, & exules: literarum etiam commercio, ut vidisti, interdicto, seditiones tamen excitant, & moliuntur omnia, Excellentissimo viro de la Mattelliere Universitatis advocato pro ejus in me benevolentia maximas gratias ago: ejus actionem in Jesuitas latinam factam arbitror gratissimo animo hic videndam: si Reipublicæ dedicare voluerit, inscriptio sic concipienda erit: Serenissimo Leonardo Donato Duci, & Senatui Reip. Venetorum: credo illum editurum Epistolium, in quo meminisse D. Fresnes & cognationis. E re fore arbitror, si legatus Regius hic degens libellum ejus nomine obtulerit; maxime erit e dignitate, quicquid sit acturus, ego consulo, ut non offeratur Principi nisi post primum diem Julii, ne in tempore incidat, quando sapientes Collegii mutantur. Ceterum, Excel. Vir, a te amari, & a D. Gillotio maxime cupio, simulque vobis servum non inutilem esse; ambos veneror, & colo, ut debeo; vestrique memoria mihi gratissima & exoptatissima assidue adest. Vale.

Venetiis 8. Maii 1612.

EPIS-

# EPISTOLA XLV.

## AD EUMDEM.

PAR gratiarum tibi debeo ob receptas a Te binas literas, priores 26. Aprilis ante 15. dies cum instrumentis appellatoriis Richerii, posteriores 9. Maii cum ejusdem Libello edito. Hac ipsa die instrumenta appellatoria gallice scripta legi sine difficultate, & magna voluptate; in tenebris eram, neque rerum gestarum rationem intelligebam, nisi tu præluxisses integra totius rei gestæ narratione: perspicue video omnia gesta esse a vobis optimo consilio, & huc usque etiam cedere in publicum bonum, & esse veluti vindicias libertatis. Ad te scripsisse puto, Censuram Episcoporum Romæ minime probatam, immo reprehensam, velletque Curia potius nihil actum esse, nam id maxime odere, ut aliquæ esse dicantur alicujus Ecclesiæ libertates, aut Jura Regia, quæ Pontificis voluntati, ne libidini dicam, resistere possint. Si censura, & instrumenta appellatoria publicabuntur, & Richerio concedantur, ut sententias suas probet auctoritate doctorum, nihil opportunius accidere poterit ad veritatis manifestationem; doctores non deerunt ex omni antiquitate, & ex omni Christiano Regno: & licet Jesuitæ assecuti fuerint, ut Sorbona in partes divideretur, id tandem illis non profuerit, qui per cuniculos, &

se-

ſecretis machinationibus plura obtinent, eorum doctrina, ut falſa, in tenebris convaleſcit, & gliſcit. Arduum mihi videtur, quod ſcribis poſtulatum a Nuncio, ut cauſſæ omnes Jeſuitarum ab iſto Parlamento avocarentur ad Regis Conſilium, & Curiæ Rothomagenſi committerentur, neque putarent id in minori ætate Regis perfici jure poſſe. De dignitate Senatus agitur qui ſtatus Francici baſis ſemper fuit. Si id actum viderem, timerem, ne Roma & Toletum in Pariſino ſolo ædificarentur, in magna expectatione ſum videndi, & ſciendi ea quæ geruntur, & te ſupplex rogo, ut quicquid acciderit ad me aſſidue perſcribas. Quod ais aſſenſum Procuratoris Regii magni iſthic æſtimari, ego non ſatis percipio, nam ſi Regina volet: conſenſum revocandum eſſe timeo majori cum damno, nam plus revocatio oberit, quam conſenſus profuerit. Si Richerio ſua dignitas ſervabitur, omnia tandem felicem exitum ſortientur; quod vobis impedimento eſt: nempe conatus Nuntii, & Jeſuitarum, res noſtras maxime promoveret; ubi quid agitur hic, quieſcunt ſtatim, unde nos obdormiſcimus: in anteactis negotiis experti ſunt nihil poſſe contentionibus obtinere, cedunt & ita vites noſtras frangunt. Boni viri in hoc nunc ſunt, ut ea doctrina firmetur, quæ omni jure conſtat, nempe ut publicatio legum & mandatorum in loco ſit neceſſaria, quo conſcientia obligetur, nam confeſſarii huc uſque perſuaſerunt neminem excuſari a Pontificiorum præceptorum obedientia; qui illa emanaſſe quomodo-

cum-

cumque sciat, quod facit, ut executione parum Ecclesiastici indigeant: sed superstitio multum potest, præsertim fori pœnitentialis prætextu, ubi Romani paratas habent aures populi, & secreto dicere possunt quicquid libet; qui vero pro libertate stant, non possunt nisi publice, & ad imperitos loqui. Magnum Pontificiæ omnipotentiæ arcanum hoc, quod publicatio Romæ acta omnes quoquo modo scientes in conscientia obliget. Nescio, qua ratione suffultus dubites non tradendam vobis Hispanam Infantem: nisi per vos steterit, tradetur procul dubio, sed ita instructa consiliis, viris, & pecuniis, ut non evasura sit Franca, sed vos in Hispanos conversura, quod de literis ad D. Gillot missis rogavi, non fuit, ut amplissimum virum, & in magnis negotiis & studiis occupatum ad rescribendum importune invitarem, sed tantum ut de literarum redditione certior factus pacato animo esse possem. Perlatum est ad nos quemdam nobilem Panormitanum obiisse maxime Jesuitis deditum, qui testamento heredes instituit, unicum filium, ac Jesuitis, ac Testamento executionem solis Jesuitis mandavit, a quibus jussit hereditatem dividi; & eam portionem filio tradi, quæ ipsis videretur, reliqua sibi ipsis retenta. Boni Patres in decem portiones assem divisere, novemque pro societate retentis, unam filio assignavere. Filius Proregem Ducem Ossunæ adiit, & de tanta inæqualitate conquestus, remedium postulavit. Prorex partium rationibus auditus divisionem remanere decrevit, sed

in-

inverti, ut partes novem filio traderentur, unica Jesuitis relicta. Sed Parmæ ipsis applicabitur confiscatio bonorum septem nobilium Parmensium, qui in personam Ducis conspirarunt, & propterea interfecti sunt, solis feudis exceptis, quod erit Collegio illi maximum augumentum. Nihil præterea novi hic habemus, nisi quod Franciscus Comes Castrensis, regius Hispaniarum Legatus Romæ, qui Neapoli subsistebat recuperandæ valetudinis gratia, Romam redire repente jussus fuit, ut assistat Capitulis Fratrum Ordini S. Francisci, & S. Dominici, curetque, quod ab utroque ordine eligatur Generalis Hispanus, quod & efficiendum existimo. Diutius quam par sit occupationes tuas interturbare video. Vale.

Die 5. Junii 1612.

## EPISTOLA XLVI.

### AD EUMDEM.

MAximo gaudio affectus fui, lectis Literis tuis 12. Julii, quibus frustra tentatum scribis, ne Richerio in munere Syndicatus succederetur. Non puto tantum de honore ejus viri, quem tamen summa veneratione dignum existimo, agi, verum de publica caussa, nam si illi dignitas servata fuerit, indicio omnibus

P erit

erit doctrinam a bonis probari. Gallicam constantiam in defendenda Ecclesiæ libertate semper admiratus sum, & in summo honore habui, sed nunc omnium maxime cum videam vos e loco non dimoveri, licet cœlo & terra adversantibus. Deum precor, ut istam constantiam & istos conatus adjuvet & fortunet. Cum iisdem tuis Literis recepi dimidiam defensionem Montoloni a Jesuitis, quam & legi sæpe cum stomacho, quandoque cum risu; si quartam partem addent, contumelias in adversarios continentem pro more suo agent: sed miror cur genus illud scriptionis semper nocuum, utentibus illud apud vulgum non noceat; ego fortunatos illos puto, qui omnia faciunt, ut existimationem prorsus amittant, illam tamen retinent. Id boni fecerit Montoloni seu Cottoni concio, quod D. Servini Orationem habemus. Subscriptionem eorum, qua se conformes fore doctrinæ Sorbonicæ profitentur, misisti, & recepi, sed æquivocatio patet, nam doctores Sorbonicos eos intelligunt, qui doctrinam Romanam sectantur, reliquos pro damnatis, & gradu privatis habent. Quam difficile sit contra eorum doctrinam scribere perspicio, quoniam eorum caussa Pontificiæ conjuncta est, non tantum in articulo potestatis Pontificiæ, sed fere in omnibus. Sola doctrina æquivocationis huc usque videtur illorum propria, sed communem facient mihi crede & cito, nam in Romana curia possunt quidquid volunt, et ab ipsomet Pontifice timentur. In Siciliam scripsi,

ut

ut integram & extensam sententiam Proregis contra Jesuitas habeam; eam si recepero, statim ad te mittam. Ducem hujus Reipublicae virum heroicarum virtutum mortalitatem explesse audisse te jam credo, ille jam sex menses in morbum inciderat, ex quo numquam integre convaluit, & se cito moriturum quotidie praedicabat; erat tamen tam vivido ingenio, & tam validis sensibus, ut publicae rei assiduam operam navaret, ac si integra valetudine usus fuisset. 16. Julii, cum Collegio de more interfuisset, & ita egisset, ut illi suetum in publicis caussis, reversus in proprium cubiculum, paucis horis vita functus fuit. Jesuitae ubique per Italiam, & hic etiam per sequaces suos ejus memoriae detrahunt, & inter cetera repentinum exitum, quasi Dei flagellum, obtrectant, ignari malam esse repentinam mortem, quae repentina est praeparationi, non exspectationi; & nihil magis viro bono desiderandum, quam quod illi evenit, ut in tota vita paratus integris sensibus, & in ipsa munerum suorum functione obeat. Romae ob ejus obitum laetati sunt, sed tamen frustra, nam maximo eorum moerore videbunt quo non ille tantum, verum nobilitatis potior pars artes Jesuitarum novit. Huc usque nihil lucrati sunt, neque lucraturos spero. Jesuitae, ut audivi, societatis Constitutiones, & privilegia non imprimunt nisi in Romano Collegio, neque exemplaria permittunt nisi probatis ex Societate. Impressionem anni 1606. numquam videre potui, licet omnia susque deque

moverim, ut exemplar nancisci possem. Clementis VIII. Bullas, quarum titulum mittis, numquam videre contigit, neque Pauli V. approbationem Instituti, & privilegiorum Societatis: hæc omnia facilius extra Italiam, quam in Italia habentur, quoniam hic coguntur in officio manere, & arcana servare, licet apertis oculis veritatem cognoverint; ego maximo labore nactus sum Bullarium impressum in Collegio Societatis 1568. cum Constitutionibus Societatis, in eo continentur concessiones Pontificum usque ad Pium IV. Venatus etiam sum manuscripta exemplaria bullarum omnium Pii V., Gregorii XIII., & Gregorii XIV. pro illorum societate cum quibusdam aliis institutis, & decretis Priorum Congregationum Generalium, nihil præterea de eorum arcanis apud me reperitur; si horum aliquo indigetis, nihil restat nisi ut jubeatis. Recepi per hunc Tabellarium binas tuas Literas priores 18. Julii cum residuo Concionis pro Jesuitis, & cum actis pro Richerio impressis, posteriores vero 20. ejusdem mensis cum actis in Parlamento. Inter omnia maxime placuit vidisse narrationem disputationis solitæ in Capitulo Generali Prædicatorum, de qua rumor ad me perlatus fuerat, sed non ita exacte literis mihi perscripta fuere gesta omnia, ut ea narratio continet. Vellem per totam Italiam narrari Perronium, & Nuncium confessos nondum statutum esse, sed ad utramque partem disputari de Papæ vel Concilii superioritate. Namque si quis extra Reipublicæ domi-

minium in Italia id dicere audeat, ut hæreticus abjurare cogeretur, vel combureretur. Syndicus & reliqui Galli, qui disputationi interfuere, magna constantia & dignitate egerunt. Legi magna curiositate acta in Parlamento in caussa Richerii, & tibi eo nomine maximas ago gratias. Rogo, ut curiositatem meam excuses: numquam avidius scire desideravi, quam quæcumque in ea caussa aguntur, ut dixi. Arbitror libertatem vestram & (addam) nostram in eo stare, ut libellus ille vivat, & Orbi appareat esse Catholicos, qui illum probent, quamvis sint qui damnent, & esse publicam authoritatem, quæ illum defendat. Quæ de pace Persarum & Turcarum audistis vera sunt, sed interim Turca cedit omni ditioni, quam Avus suus contra Persas acquisivit, & Persa recuperavit. Quid Turcæ acturi sint, nondum apparet, sed ego arbitror suspici ab illis victorias Polonorum contra Moscovitas, & illuc velle intendere: jam in Transilvania arma mota sunt, & in Valachia, nos nihil timemus, quoniam sine Classe maritima offendi non possumus, neque Turcæ possunt repente illam parare: occurrendum modo nobis eorum artibus, qui pecunia & Religionis prætextu omnia moliuntur. Hispani cum Classe sua sunt apud Hidruntum, & Turcæ cum alia supra Calabriæ littora, Veneta vero circa Corcyram. Omnia Hispani moliuntur, quo aliquid faciant, ut inter Turcas, & hanc Rempublicam caussæ dissensionum oriantur, sed eorum artes utrisque sunt perspectæ, & nihil

facient. Audivi Parochum ex Parisinis vinctum, & carceri deditum ob scripta quædam apud eum inventa contra Papæ auctoritatem, quicquid sit scire maxime exopto. Rogo te, ut præter Literas salutem plurimam D. Gillotio dicas, ad quem colligatas scribo. Deum precor, Excellentissime Domine, ut te semper incolumem servet, sicut ejus Majestatem assidue oro. Vale.

14. Augusti 1612.

# EPISTOLA XLVII.

## AD EUMDEM.

SUmmo animi dolore injuriam Richerii accepi; id præsertim ægerrime tuli, quod insolentibus modis res acta fuerit, & se ejus injuriæ ministros illi præbuerint, quos maxime pro Richerio stare non tantum jus & fas erat, sed illis apprime expediebat; hoc fortasse Deus in bonum permisit. Richerius consolandus est, quod pro justa & pia caussa persecutionem tulerit, & illi potius in posteritatem, quam in hæc tempora respiciendum, apud quam ille ab omnibus laudandus vivet, & inimici servilis adulationis damnabuntur: satis etiam ei in præsentia, quod conscientiæ propriæ, & virorum bonorum ejus conatus probetur, Novum Regia-

rum

rum Literarum tenorem miratus sum, quarum exemplar tuo nomine missum recepi, neque probare potui, quod his initiis everteretur optima regendi ratio tanta cum tranquillitate & felicitate per sœcula usurpata. Magna profecto est potentia, vel potius impotentia Jesuitarum isthic hoc tempore, quæ forte eo non perveniet, quo illi sperant; mutari procul dubio res oportet; hinc virtus Francica ad interiora retracta, ac valentior facta contrarii antiperistasi erumpet, & obstantia cuncta amovebit, & futuris quoque malis obviam ibit, quod non modo spero, sed, ut fiat, Deum assidue rogo. Leidresseri dissertationem legi, eamque iterum repetere statui, quod raro efficio, ita opus egregium & absolutum visum fuit. Auctor quisquis sit omnium bonorum laudem, & admirationem meretur; in eo neque elegantia, neque soliditas desiderari possunt; ille nisi ingenium suum publico bono impendere pergat, sibi, & bonis defuerit, oh quam vellem ejus viri gratia me commendatum fore! Barclaii vindicias recepi, opus elegans, quod vividum ingenium auctoris refert, mihi etiam ex aliis operibus cogniti. Romana Curia exactis sœculis nullos magis adversos suis conatibus habuit quam Francos. Nunc cum ventus illi secundus favet in vos omnes vires vertit; inde nobis non tanta inquies, quanta si in nos solos omnes incumberent; sed pugnate fortiter & pro vobis & pro aliis, ut huc usque fecistis, non diu ventus eodem flabit. Gratias habeo da narra-

tione casus Parochi ejus, cujus conscius esse optaveram: ut video, tota ista Civitas, ne dicam Regnum totum in Jesuitas, & Regios dividitur Jesuitarum opera, & molimine, quod an ab illis prudenter fiat ambigo. Stabunt omnes Catholici pro Pontifice, fieri non potest, ut in duas divisi partes eidem tantum adsint. Videntur mihi tuæ literæ quandam animi veluti demissionem ostendere, quod cernas doctrinam Parricidarum non posse isthinc exterminari: verum non est sperandum, ut magnus morbus facile mitescat, medicorum more quiescendum, & vigor exspectandus. Interim diversionibus & revulsionibus agendum; remedia tunc proderunt cum in remissione erit. Non mirandum si post tam magnum ne dum istius Regni, sed totius Europæ concussæ motum per Henrici parricidium, ii, qui primi auctores fuere, nondum quiescant; sibi timent illi, si bonis spiritum resumendi dederint spatium. Vigent propterea, nunc, & instant quantum possunt; sed vires tandem, Deo bene volente, illis deficient: bonis omnibus ea monitio in animo semper sit, malis non cedendum, sed contra audentius eundum: virtus lacessita evadet tandem fortior; ita spero, ita futurum divino, ita Deum rogo. Nos hic nondum certi quo res Germanicæ erupturæ sint; quiescimus, de Turcis propterea ambigentes. Certum est exspectatum esse, & fortasse jam adesse Constantinopoli Nassuf Bassa, qui Principi rebellis dicebatur; sed res sunt compositæ, cum comitatus Legatus Persicus,

cus, quod pro certo indicio pacis inter eos Principes habetur. Optat novus Imperator Germanorum ſponte bellum Turcis inferre, quo armatus a tota Germania ſuſpiciatur; id notum non Germanis modo, ſed & Turcis; neſcio an ad effectum perduci poterit; arma tamen Turcica contra Chriſtianos vertenda indubitatum eſt; verum cui id mali impendat incertum. Deus omnia in ſuam gloriam vertat. Eum rogo, Illuſt. Domine, ut te, & amicos omnes diu ſervet incolumes. Spem mihi facit aliquis iſthic Richerium poſſe reſtitui. Si quid fiet, omnia ſciam rogo.

...... Sept: 1612.

# EPISTOLA XLVIII.

## AD EUMDEM.

EX Literis tuis 19. Decembris maximam lætitiam cœpi, videns Richerium nullam jacturam exiſtimationis feciſſe, & in cauſſa Præbendæ rectorem Univerſitatis, & magnum Magiſtrorum numerum pro eo ſtetiſſe. Legi reliquum collectionis, quod ad me miſiſti, & proteſtatio Riherii mihi viſa eſt conſtans, & ſimul modeſta, eamque ſummopere commendo; eam partem collectionis prioribus a me olim receptis addidi, & tibi de omnibus gratias habeo

beo. De Scioppii Libro combusto audieram, neque satis mirari possum, ut temeritati tanti nebulonis iste Rex, & istud Regnum non obviam eat majoribus remediis, quam Cartaceo igne. Igitur Semivermis impune audebit sententiam dicere tam infamem contra patrem Regis viventis,. & florentis? Sed satis. Liber Becani ad nos nondum perlatus est; afferetur procul dubio, sed tamen in eo aliud videre non spero præter ea, quæ in Bellarmino, & in aliis adulatoribus nostris. Sed quod Jesuitæ promittunt ad Papam scripturos, non caret solita æquivocatione. Quid opus est ad Papam scribere? plus potest Jesuitarum Generalis in Becanum, & ceteros Jesuitas, quam centum Papæ. Ne credas sine Jesuitarum consilio, & Generalis jussu Librum emissum, sicut nec aliud quidquam vel fieri, vel factum esse ab ullo socio eorum, nisi ab omnibus deliberatum. Hac occasione detinere te volo quadam narratiuncula, quam forte aliunde non audisti. Scis eos domum Constantinopoli jam erexisse. Ibi suetis artibus usi spe & præmio lucrati sunt Græcorum Patriarcham, unde Jesuitæ ejus Cleri per eum nominabantur, unde tanta ira, & indignatio non Cleri modo, sed & populi, ut cum alia via non possent obviam ire, audierunt Bassa, a quo muneribus obtinuerunt, ut Patriarcha deponeretur. Ita decretum, Patriacha privatus est dignitate, & in ejus locum creatus Patriarcha Alexandrinus origine Cretensis, vir eruditus Latinis etiam Literis, qui in Gymnasio Patavino,

dum

dum esset Juvenis, philophiæ, & bonis artibus dedit operam. Vir est paterni ritus maxime zelator. Sed ego non ausim dicere quicquam esse impervium Jesuitis. Nondum narratiunculæ finis. Modo magna cura, & sollicitudine agunt, ut obtineant a Turcis locum SS. Sepulchri Hierosolymitani, qui jam ab annis 200, & quod excurrit a Cordigeris regitur; obtinere conantur muneribus magnis, & promissione annuæ solutionis, neque Turcis ipsis contemnendæ: si impetraverint, tibi censendum relinquo, quot pecuniæ in Europa corrodentur illuc mittendæ; præterea quot Ravaillaci fient opportunitate specuum, antrorum, devotionum, revelationum, tu mihi dicas reliqua, quibus subjectus est animus maria emensus Religionis gratia. Sed quid si alius sit finis magis in longum? ut Rex aliquis eo mittatur ad bellum, ut vacuum regnum aliorum libidini maneat expositum, si quis sit nomine, ætate, origine, & aliis qualitatibus Ludovico IX. similis, & pari educatione, & in eum talia moliri qui crediderit, non inverisimiliter conjicet sub hoc colore hujusmodi machinas latere. Scire aveo, quid de Libro Becani, ad quem nunc redeo, actum fuerit, quod potius a Senatu, quam a Sorbona factum velim, nam ab eo Collegio ob factiones nihil boni spero. In eo sunt procul dubio magni & maximi viri, inter quos prælucet Richerius. Sed non ita bene cum rebus humanis agitur, ut pars melior major sit. Utinam non augeatur Jesuitarum factio, ut ego sicut abominor,

nor, ita futurum timeo. D. Gillot plurimam salutem meo nomine dicas rogo, eique partem Jesuiticorum conatuum des, vos ambos, & reliquos amicos summo animo valere opto, quibus obsequi, & inservire desidero.

Die 15. Januarii 1612.

Ceterum, Excell. Domine, Gallicana constantia mihi maxime perspecta est, neque dubito quin omnia adversa magna animi fortitudine superaturi sitis; licet amoris excessus me coegerit in aliis meis adhortari ad animi obdurationem; quod ut a benevolentia profectum excuses oro. Hoc jam est tertium exemplum Decreti Decemvirum in Jesuitas ad te missum. Primum eodem mense Junio, quo emanavit, idque cum illis literis deperditum certum est. Secundum misi, sed incertus an perventurum isthuc ante 19. Decembris, quod si ante harum receptionem tibi non redditum fuit alias meas cum eo periisse procul dubio erit. Deum rogo, ut istis propitium iter concedat. Iterum vale.

## EPISTOLA XLIX.

### AD EUMDEM.

Redditæ mihi fuerunt literæ tuæ 8. Februarii cum excerptis ex Azorio & Gretzero,

ro, ac cum censura Romana Becani; ejus censuræ huc usque apud nos nulla notitia. Mihi maxime mirum, quod die 3. Januarii ea de caussa Cardinales congregati fuerint, qui inter Nativitatem & Epiphaniam Domini ab omnibus actis hujusmodi cessant. Non possum divinare quam ob causam Jesuitæ censuram Sorbonæ extimuerint, & maluerint libellum Romæ damnari: utinam imprimendus non sit pestilentior damnato! Jo: Azorii tomos tres si damnari permittent, aut censura notari, cum manifesta fiet, cur Becanum tam obnixe defenderit. Gretzeri audaciam, & impudentiam miror; quid boni exspectandum est ab his, qui benefactoribus detrahunt? Sed arbitri rerum esse volunt, & omnibus imperare. Rumor est ab eis, nescio quid recens tentatum in vitam Regis Angli; nondum id plene constat; & Romæ ferunt hæc non Pontifici probari. Quod tamen ab omnibus non creditur. Multa ab Hispanis petita fuere ad collationem Beneficiorum spectantia tam in Regno Neapolitano, quam in Hispania, verum adhuc de propositis deliberatur, & Hispani de more non urgent, namque interim multa obtinent, dum Curia timet aliquid negare, ne postulata urgeant. Tandem omnibus observatis Hispania sub hoc Rege non tantum defert Romanæ Curiæ, quantum sub Patre. De pace facta inter Turcam & Persam verum audisti; non tamen maritimum bellum a Turcis paratur, neque Classem adornant, nisi ut omnibus annis solent, quæ non satis

esset

esset ut aliquid in mari aggrediantur; verum maximum bellum terrestre parant, & ut fama est adversus Dacos, qui nunc Transilvani, & Valachi, & Moldavi. Hi olim sub propriis Dominis aut Regulis, tantum tributis Turcam venerantes. Hi elapsis annis obsequium exuerunt; idcirco Turca nunc putatur redacturus Regiones illas in Provincias, subjecturusque eas ministris suis, quos Saniacos vocant; quod si eveniat, ut ego abominor, maximum erit rei Turcicæ incrementum, & imminebit nedum Hungariæ, sed Poloniæ aliquid etiam mali. Jam Princeps ipse prima die Januarii Constantinopoli discessit profecturus continuo itinere Adrianopolim terminum occidentalem Thraciæ. Fertur profecturus ultra, sed certum est militem undique concurrerre, & in armis fore, antequam in Germania de auxiliis Cæsari subministrandis deliberetur. Petit Cæsar a Pontifice pecuniarum auxilium, sed neque Pontifex contribuere potest ob indigentiam, neque vult quod non ea de caussa expendendum putat. Audisse te arbitror quid egerint Ministri Ducis Sabaudiæ contra excommunicationem a Nuncio Pontificio in Præsidem Galeanum comminatam cum executione. Quid Romani contra agere decreverint, nondum scitur; sed illud tantum, quod actum a Ministris Ducis ferre neque possunt, neque volunt: tandem abstinendum illis erit a Censuris, nam per eas nullibi proficiunt. Licet putem isthuc exemplum perlatum ejus Decreti, & a te visum fuisse, mittere tamen volui, ut

si

ſi forte ad te nondum pervenerit, videas quam acriter ab eis actum. Præterea, Excell. Domine, de Cenſura, & excerptis ad me miſſis maximas habeo gratias; teque rogo, ut mei ſemper memor ſis, meque mandatis tuis honores. Ego Deum precor, ut te intolumem diutiſſime ſervet. Vale.

12. Martii 1613.

## EPISTOLA L.

### AD EUMDEM.

SUmma animi voluptate literas tuas recepi 7. Februarii datas, & ſummopere gaudeo a vobis ſignum libertatis ſublatum: quod enim tu paullo acrius effectum ais, ego aſſentiri non poſſum; libertas remiſſe defenſa majorem ſervitutem parit; & illud ſemper Livii præ oculis habendum, media conſilia pernicioſa eſſe, quæ neque inimicos tollunt, neque amicos parant: quod utinam a noſtris, ut non ignoratur, ita obſervaretur. Sed multa ſunt quæ prohibeant. Nemo ignorat e rebus publicis fore, ſi principibus temporalis poteſtas, & ſi Epiſcopis ſua ſpiritualis reſtitueretur: verum unde incipiendum omnibus ignotum eſt. Philippus II. Rex Hiſpaniarum inter arcana Dominationis habebat defenſionem Pontificiæ poteſtatis, quæ licet gra-

vis

vis & sibi, & ejus regnis esset, utilitatem tamen trahebat valde præponderantem damnis, cum ejus ministerio Principes omnes seditionibus intestinis occuparet. Hic Rex, vel qui Regnum gubernat exorbitantem potestatem probare non videtur, & in Hispania imminuere cœpit; idque tentatum & in Neapolitano regno; verum post Germanicos motus destitere, cum Hispania Pontifice & Jesuitis indigeat, ut magnitudinem Austriacæ Domus in imperio servet. Italiæ Principes, qui omnes pacem amant, coguntur tempori servire, & quantum possunt frui præsentibus. Papa non contemnendam partem regionis in Italia possidet, & præterea trienti cujuscumque principatus dominatur. Ecclesiastici enim Itali magis Pontificatui addicti sunt, quam Galli, cum ab eo solo Beneficia recipiant, & quod plus æstimant, ab eo majora exspectent. *Illud* proverbium hic quadrat, Lupum auribus tenere: æquæ periculosum est dominantibus in Italia subesse Pontifici, ac jugum excutere. Sed de his opportuniore loco. In summa exspectatione sum videndi ejus Senatus Consulti, quid pronuntiatum fuit contra factiosos, qui in libellum de potestate Ecclesiastica & politica insurrexerunt, si libellus ille publica auctoritate defendatur, ut jam cœptum esse video, erunt in Gallia jacta semina, unde ingens seges possit isthic oriri, & ad nos etiam transferri. Orationem Advocati Universitatis legi, & perlegi, quam ut elegantem & solidam admiratus sum: ego authorem observo & veneror, qui in re ancipiti

piti

piti tanta cum libertate pro veritate pugnavit. In ea duo sunt, quæ, ut mihi nova, ita explicata habere summopere exopto. Unum est de Carolo Ridicono Jacobita Gandavensi, contra quem dixit pronuntiatum fuisse a Senatu mense Aprilis 1599. nihil ea de re neque de viri nomine quicquam audivi; rem mihi gratissimam efficies si brevem historiam narraveris; & Senatus Consulti tenorem subdideris. Alterum, quod Advocatus Universitatis meminit colloquii cujusdam habiti in Tullensi Civitate, ubi Jesuitarum dogmatibus, seu maximis novum robur additum; de ea re nihil ad nos allatum fuit: scire velim personas, & acta colloquii. Exspecto etiam summo animi desiderio D. Servini Orationem, quam divino ita uberem fuisse rationibus juris, ut hæc cumulata desumserit ex facto. Non possum omittere, quin importunitatem meam excuses, quæ numquam petere desistit, & veniam rogem curiositatis. Deum precor, Vir Excellentissime, ut omnia cœpta tua fortunet, & te diu incolumem servet, ut ejus Divinam Majestatem paribus votis ambo venerari possimus. D. Gillot meo nomine salutem plurimam dicas precor. Vale.

Martii die 15. 1613.

Cum has scripsissem redditæ mihi fuerunt literæ 15. Februarii datæ, ex quibus, & ex aliis ad D. Molinum scriptis didici sollicitudinem; qua pro rerum earum statu tactus fuisti; quo nomine

maximas tibi gratias debeo, & quas possum ago; sed cum ea de re tibi jam omnia aperuerim, nihil est, quod addam. Ex iisdem literis ad D. Molinum vidi illum ad te scriptiungulam quamdam meam de Immunitate Clericorum scripsisse & subpuduit, neque enim scriptum erat, ut vulgaretur, sed tantum ut quidam ex nostris informarentur, quos repente erudire oportebat, & superstitione liberare, ne ea moti aliquid statuissent, quod non e Republ. foret. Plura & potiora subticui, ne solidiori doctrina debilia ingenia gravarentur; neque a battologia abstinui, ut mores nostros sequerer in loquendo: negare non possum ægre tulisse, quod Molinus, dicam, inconsulte ediderit, quod apud nostros tantum retinendum erat, verum acta retractari non possunt, te tantum rogo, ne me ex ea scriptiuncula dijudices, quam nihilum existimo. Si contra Libellum de Ecclesiastica & politica potestate turbæ excitatæ non fuissent, jacuisset fortasse a paucis lectus, & a paucissimis dijudicatus; profuerit excitatum bellum, & quia res diligentius examinabitur, & quia Syndicus, & alii Sorbonistæ cogentur propria defendere: jacet inculta doctrina, licet optima, sine contradictione, viget ubi oppositionibus impetitur, & fulcitur defensionibus. Modo in tuto sit Syndici vita, & libertas, & a Senatu defendatur; omnia in melius cessura spero; & ut dicam ingenue, licet id ageretur, quod in caussa libri Bellarminici actum fuit, id tamen libentius probaverim, quam si nihil agatur. E re veritatis est, ut vindiciæ aliquæ

fe-

ſecundum libertatem petantur, & boni viri e ſommo excitentur, & profeſſores literarii potius in partes dividantur, quam ſegniter, & inconſulte ſequantur Jeſuitas; contra quos & nobis olim pugnandum fuit; quod dixerint Pontificem ſucceſſorem Chriſti, id quod ſemper, & ſerio repetent, ut caput ſuum viſibile neceſſarium probent, quo Eccleſia non indigeret, ſi Chriſtus eo munere fungi poſſet: profecto eo pervenerunt, ut nihil addi poſſit. Jam enim ex eorum Societate quidam Paulus Comitolus Peruſinus librum ſcripſit, cui titulum fecit, *Reſponſa moralia*, ubi defendit credendum eſſe tamquam articulum Fidei Catholicæ & Divinæ, ſingulos Pontifices, qui per tempora Eccleſiam rexerunt, fuiſſe veros ac legitimos, & eadem fide credendum eum, qui modo regit, talem eſſe, & eadem pariter fide credendum illum eſſe Baptizatum, eſſe Orthodoxum, & eſſe marem, & id omne, ſine quo poteſtas Pontificia conſiſtere nequit, idque probat duabus potiſſimum rationibus, una quia ſi quis illum diceret non eſſe verum Papam, ipſe traderetur ut hæreticus, ergo id credere eſt fidei Catholicæ articulus. Altera vero ratio, quia nemo martyr eſt, niſi ob fidem Catholicam moriatur, ſed in Anglia multi interfecti ſunt, quod dixerint Gregorium XIII. Eccleſiæ verum caput; id ergo aſſerere eſt fidei Catholicæ articulus. Hæc omnia ad longum, ille lib. 1. *q.* *99.* ejus libri. Quid ultra ab illis exſpectas? Jam enim multos plures fidei articulos habemus de ſolo Papa, quam

de cunctis Redemptionis nostræ misteriis. Trecensem narrationem legi cum indignatione, quod gens illa omnibus tam petulanter illudat, & adversus hanc Rempublicam recens quædam machinati fuere, quibus spero obviam brevi itum iri, & tam cito; ut per sequentem Tabellarium te facturus sim certiorem & de eorum artibus, & de remediis, quæ omnia & aliis exemplo non contemnendo futura confido. Ego appendicem literarum ipsis prolixiorem addidisse video; excuses rogo, & me, ut soles, diligas. Vale; & si a Senatu isto quicquam decretum fuerit de libello Syndici, ad me mittas precor. Iterum Vale.

Si inter PrincipemCondæum & Cardinalem Perronium pro Libro Syndici quicquam acrium verborum jactum fuit, ibi res non sistet; & si Principis ingenium ejus doctrinæ capax est, licet aliis monstrantibus aliquid boni non Franciæ modo, sed & Italiæ ominor: quicquid inter eos accidit, tempus elucidaverit. Quare rogo, ut ad me scribas, si id verum fuisse confirmatur, & si quid etiam ultra narratur.

## EPISTOLA LI.

### AD EUMDEM.

MAximas gratias ago ob missam ad me collectionem actorum de Libro Becani, ego omnia movi, ut censuram ejus Libri Romæ ha-

haberem; id assequi non potui, cum tamen non soleant hujusmodi in arcanis haberi. Genus illud dicendi, in quo nonnulla falsa, temeraria, scandalosa, & seditiosa respective continentur, usitatum est Romæ; & adverbium *respective* ideo adjungitur, ut non eadem esse significentur, quæ falsa, temeraria, scandalosa, & seditiosa appellantur. Quare mirum quod judicium falsi, & seditionis esse fori Ecclesiastici affirmetur. Ceterum forte XI. quæ ex Libro isthic sunt excerpta, non sunt inter ea, quæ Romæ notata fuerunt, sed forte alia observavit collector vester. Adverbium respective Gallorum respectu additum, & forte rem acu tetigit, licet non meminerim in ea significatione usurpatam eam vocem a Romanis vidisse. Sed dum lego censuram, & excerpta ex bonis literis Generalis non possum divinare, an Emendationis formula confecta sit, vel conficienda; quod si confecta, cur non est in Galliam missa, ut omnis querela cessaret? tandem in eam sententiam descendo, ut putem nihil serio agi. Verum quod Capitulum, & Universitas Tolosæ tam amatos, & ut sic dixerim adoratos Jesuitas ferre non potuerit, nihil mirum; illi omnium dominare volunt, neque amicis parcunt, dum eo perductos volunt, ut reluctari non possint. Tecum sentio publice interesse, ut ab omnibus cognoscantur, sed cognoscendos puto, cum primum huic Generali succedetur. Mihi enim certo a scientibus affirmatur eum omnia agere, & moliri, ut tantum paucis quibusdam magnis ausis omnes in-

cumbant, & ne illis impedimenta obiiciant a reliquis abstineant, & tamen tantus rerum arbitrer non potest illos in officio continere. Quæ magna animo volvant extra Italiam. Tu bene nosti; in Italia duo sunt, alterum imminet Romæ, alterum Venetiis; verum hominum consilia plerumque vana, & noxia. Mihi maxime gratum erit ea habere, quæ a Clero & Universitate Tolosæ adversus eos scribentur sive impressa, sive manuscripta, quoniam hæc & hujusmodi sciri a nostris maxime expedit; & si quid aliud in Richerii negotio agetur, scire percupio. Deum precor, ut te incolumem servet. Vale.

Die 26. Martii 1613.

## EPISTOLA LII.

### AD EUMDEM.

Literas tuas 3. April. recepi cum scripto Tolosano, quo nomine tibi maximas gratias ago. Jesuitarum petulantiam non possum satis admirari, qui Civitatem universam occupare volunt. Vereor, ne Capitulum ex sententia discedat, nam cum video ut nonnullos vel deceperint, vel lucrati fuerint, aliis quoque id eventurum suspicor. Commentarium ad Synodalem responsionem ab eo, quem optime nosti, recepi; perlegi avidius, & in eo fruges & semina sanæ doctrinæ observavi. Si auctor se in lucem dederit, ea occasione aliquid etiam ad-

additurum spero. Sed quis se continere possit, dum videt Jesuitas fictis nominibus plura emittere, & eo prætextu, quod libelli auctorem non præferunt, eos pro damnatis velint? Erit e re publica, si propositiones ejus Commentarii in disputationem trahentur, nam eo magis confirmabuntur, & alias habendi occasio præstabitur; sed in tua sententia sum, Nuncium id non permissurum. Numquam voluerunt Romæ aperire, quod in quovis Libello damnarent, sed tantum pro imperio agere, ut omnes eorum Censuræ stent, & nihil ultra quærant. Si auctor Commentarii aliquid addiderit, id videre gratissimum erit. Putaveram ad vos pervenisse exemplaria eorum, quæ Augustæ Taurinorum gesta sunt in Caussa Astensi; & tamen exemplar ad Amicum isthuc misi, quod tibi non communicatum miror. Nunc mitto exemplar monitorii, quod numquam impressum scito, verum ejus exemplaria manuscripta affixa publice. Huic additur, quod Consultum, & Decretum a Ministris Ducis Civitate Astesana petent; ea omnia impressa, & publicata fuere, exemplarque impressum magna opera expiscatus sum, nam multi in gratiam Curiæ laboraverunt, ut emerentur, & occultarentur, & qui habent, in thesauris reponunt; in exemplari, quod ad te mitto, ex impresso desumpto omnia fideliter habentur; monitorium vero e manuscripto, quod e Cancellaria Nuncii exiit, desumptum est. In eo videbis, ut modo Cameræ Apostolicæ omnes Ecclesiarum res ascribant, & non ut olim Christo, vel San-

ctis tutelaribus: eo res procedet, ut unius omnia fiant.

Molinus neque ægrotavit, neque e Civitate discessit: ille non diu est, ad te scripsit, & reliquum cujusdam Libelli misit, quæ a te accepta nunc putat. Ut ad Astense negotium redeam, actum inter Papam, & Ducem de controversia componenda, & promisit Dux missurum se Legatum Romam ea de re, nec dum tamen quicquam executus fuit. Modo bellum movit contra Ducem Mantuæ in Montis Ferrari regione, & quædam cepit loca; qua in re cum adversos habeat Principes Italos omnes, & Hispanum, cessurum arbitror, vereorque, ne ea de causa etiam in negotio Astensi animos demittat; quod nolim; quicquid tandem fuerit ad te perscribam. D. Gillot ex animo salvere jubeo, cui etiam hæc exemplaria, si ita tibi libitum fuerit, communicari cupio: præterea, Excell. Dom. Deum rogo, ut cœpta vestra omnia fortunet, & te diu incolumem servet. Vale.

Die 7. Maii 1613.

## EPISTOLA LIII.

### AD EUMDEM.

Redditæ mihi fuerunt literæ tuæ 13. Maii, quo tempore ob bellum, vel belli simulacrum in Pedemontana regione cœptum, Tau-

Taurino discessit is, per quem inter nos literæ commeabant: quam ob rem ad eas non rescripsi, & invitus decrevi a scribendo supersedere, donec alia via tuta aperiretur. Nunc alias tuas VI. Junii accepi, gratias pro utrisque maximas ago. Documenta, quæ ad me misisse in his postremis memoras, omnia recepi, & carissima habeo. Quod vero scribis, D. Gillot ad me misisse acta inter Philippum Pulchrum & Bonifacium VIII. scito me nihil tale recepisse. Perdita doleo, nam titulus ostendit pleraque scitu digna in eo contineri. Post D. Gillot Literas 12. Januarii nullas recepi. Hæc oro te, ut illi Domino significes, eique me omni affectu commendes. Cum isthic refertur Librum aliquem Romæ censura notatum, scias velim, significari, illum esse adscriptum in Catalogo Librorum vetitæ lectionis; idque Libris Wildringtonis, Richerii, & Vigorii evenisse; nam propriam cujusque libri censuram non emittunt, nisi approbationis potius, quam damnationis gratia, ut in Becanum fuere. Liber quilibet ei Catalogo ininsertus pro damnato in tota Italia habetur, præterquam in Venetorum dominio, ubi post annum 1595. sine consensu Principis nullus liber pro damnato censeri potest. Schulckelnii Geldrensis liber, quem memoras, non est hic visus, neque ego miror, a Coloniensi inquisitore probatam pestilentem ejus doctrinam, cum videam in ea Civitate imprimi quicquid Romæ non audent. Math. etiam Tortus ibi

pri-

primum impressus fuit; quotidie, ut video; homines hi progrediuntur ad pejora, sed, ut tu prudentissime ais, magis nocent personati, quam aperta facie. Ego eum Librum ad me deferri e Germania statim jussi, quem arbitror a Jesuitis studiose in Italiam emissum, ne ab his, qui Bellarminum familiariter noverunt, technæ aperiantur. Mirum ut quotidie novas artes, nova sophismata, nova machinamenta inveniant, quibus aditus ad libertatem præcludatur. Iterum sententiam tuam probo, detrahenda illis est persona, ne hypocritæ noceant; quod si id fieret, non modo ubi de potestate in Principes agitur, verum præterea in aperto deduceretur coram orbe flagitiosa nundinatio, forte nullus relinqueretur artibus locus: si Sorbonæ Collegium integritatem suam servaverit, erit voluti perfugii locus; quod si, ut conantur, illud in suam potestatem redegerint, nihil video relictum, quod non illorum libidini expositum sit; nam privatos nihili æstimant, quos maledictis vincere, aut terrere sperant. Sed de his plura cum ut spero, literarum liberum commercium inter nos prope diem instaurabitur, has namque in incertum mitto. Interim rogo, ut sim in memoria tui, & D. mei Gillotii, quos publico bono valere opto, & quorum consilia & conatus Divino favori semper commendo.

25. Julii 1613.

PAU.

# PAULI SARPII EPISTOLÆ AD ISAACUM CASAUBONUM

EX COD· COLBERTINO 2832.

## EPISTOLA I.

Magno meo mœrore Polybii exemplar a te dono missum periit, non quia laboris tui fructu privatus sum, aliud enim habeo, quo utor; sed quoniam munere tuo mihi jucundissimo careo. Verum enim non res ipsa, sed animi affectus attendendus sit, satis habeo, quod me eo honore dignatus fueris, ut putaveris tuo favore non indignum. Detestandum facinus in optimum Principem Regem vestrum uno ictu cœptum, & perfectum abominantur omnes, præter eos, quorum ars est Principum cædes; quos impensius odisse mihi numquam satis est. Quod ad reliqua attinet, video te ex amicitia potius, quam ex

ve-

veritate de me judicasse; nam ego non is sum, quem tuto de tanta re consulueris, præsertim quæstionem non epistolicam per epistolam interrogatus. Cum vero nihil tibi negare audeam, quod jussisti, præstare conabor; tu conatum ipsum pro perfecto opere accipias rogo. Illud præfatus, Christum pro Ecclesia se ipsum tradidisse, ut illam redderet immaculatam, non in hoc sæculo, sed in futuro; dum in hoc graditur, eo tendit, quo perveniri a mortalibus non potest. Tu mihi videris Ecclesiam optare omni macula carentem; illam, nisi Cœlum suspexeris, demonstrare non potero. Hic optima est illa, quæ minimis corruptelis urgetur. Fidei fundamento jacto, surgere structura igne examinandas, & plerumque comburendas, D. Paulus monuit. Mentior, si horum sæculorum Ecclesiis Corinthiaca incorruptior fuerit, quam Paulus fundavit, quam educavit, quam sanctam dixit. Ubi mortales degunt, facilius, quod reprehendas, quam quod laudes, inveneris. Undique perfectum id est, ad quod aspiramus. Duo passim fiunt, quorum rationem non satis perspicio: Illud primum, quod ad Patres confugitur ab iis, qui interim sciunt, illorum aliquos sæpissime rhethoricatos, ac propterea præjudicatis sui sæculi opinionibus nimium detulisse, conatosque, ut ad Fidem Ethnicos inducerent, priscis vocabulis res prorsus alias indigitare. Quibus ex caussis neque quis facile eorum sensum e verbis eruerit, & ad proprium quisque facillime eos traxerit.

Mit-

Mitto, quod in nulla controversia sententiam ejus plane expiscaberis, qui ante eam natam ex subjecta materia aliquid scripserit. Hi, qui putant montes vel excelsos Cœlum tangere, Italico proverbio monentur, *più sù sta monna Luna*. Illud vero alterum, quod veluti novæ Marthæ sollicitamur in pluribus, & levioribus, interim uno necessario neglecto. Ut quid ornamentum domus, ut quid alia igni obnoxia attendimus? Fundamentum tentandum est: dum illud constet, reliqua eant, ut volent, igne probanda. Hæc, ne officio deesse videar, ingenue dixi, neque plura, si tecum loquerer, dicere possem; sed imposterum memineris, ne me tanti æstimes, quem cum ad lancem examinaveris, momentulum invenies, ut inventurus certus sum, cum hæc incondita legeris. Deum precor, ut consiliis tuis suo favore adsit, illaque in gloriam tuam dirigat, tibique bona cuncta, & præsentia, & futura largiatur, mihique donet, ut tibi non inutilis servus sim. Vale.

Venetiis 22. Junii 1610.

EPI-

## EPISTOLA II. (*)

### AD EUMDEM.

SAne magno gaudio affectus sum, cum jam annum te in Angliam transmigrasse audivi. Timebam tibi, si Italum aërem inspirasses, ut constitueras. Sæpe in animum induxi meum, ut studia tua aliquibus literis interturbarem; unde semper distuli, majorem opportunitatem exspectaturus. Nunc id facere cogor, ut pro tuis literis pridie Kalendas Majas datis gratias agam. Et ne putes nos incuriosos esse eorum, quæ isthic scribuntur; Epistolas tuas ad Frontonem, & Perronium legi, & apud me habeo. Hujus postremæ exemplar a te missum mihi carius erit, ut a te profectum, & manu tua subscriptum. Profuerit libellus ille multis bonis viris, qui inviti errant; nam vir, ad quem scripsisti, licet multis nominibus notus, nullum ex eo fructum percipiet, cum voluntas suaderi non possit.

Quod in Baronium scribere paras, gaudeo, & pergere hortor, licet illum Antagonistam di-

(*) Estratta dal Libro intit. Isaaci Casaub. Epistolæ, incertis ad easdem respons. &c. Roterod. Typis Erittsch, & Bohm. Curante Janson, ab Almelov, in fol. pag. 471. num. 811.

dignum te non putem. Sæpe ipse mecum animo volutavi, quid caussæ esset, cur in magna existimatione apud plerosque sit absque ullo suo merito, ne dicam absque ulla culpa, cum, quid in tam magno Opere laudandum foret, videre nequirem. Nulla pars est, quæ confutari non possit solo adminiculo eorum, quæ ab eodem proferuntur. Nullus est magni vel parvi nominis Historicus, quem non sæpe commendet, & sæpius confutet. Mitto adulterina, & detorta testimonia, prolixitatem maxime fastidiosam; & judicia perversa, ac insulsa, quæ nemo in historia ferre potest. Pedagogiam in Lectores petulanter exercet, quos singulis passibus intempestive sistere jubet. Divinæ Providentiæ consilia in bonis distribuendis & malis infligendis ad solius Papatus rationes adstringit. Reliquum video fortunam bonam illi favorem conciliasse, quæ adhuc illum sequitur, cum Tu illius scripta impugnare constituis; nam magni Æneæ dextra cadet. Cedet tamen in publicam utilitatem opus tuum procul dubio. Verum quod illum fraudis & doli mali convincere paras, vereor an probaturus sis iis, qui morum hominis gnari fuerint. Vellem potius levitatis, & temeritatis accusares. Ego illum Romæ novi, antequam honoribus manum daret, & prurigine scribendi tentaretur, cum solius animi tranquillitati, & puritati conscientiæ daret operam. Nullas habebat opiniones proprias, sed eas e conversantibus sine delectu sumebat, quas tamen quasi

pro-

proprias, & bene perspectas pertinaciter defendebat, donec alias jussus potius fuisset, quam edoctus. Si multi prudentes, & cordati, fatali poculo ebibito, spiritu vertiginis circumacti sunt, minimmirum, e si miser unicus purpureis laqueis commune malum effugere non potuit. A dolo malo absuisse crediderim, a levitate, & securitate minime. Hæc, ut ad Amicum, liberius, & ultra epistolii modum scripsi. Tu veniam dabis.

Quod sapientissimi Regis benevolentia fruaris, tibi gratulor ex animo. In eo, rarum, cumulatæ sunt virtutes Principis, & Viri. Regum idea est, ad quam forte anteactis sæculis nemo formatus fuit. Si ego ejus protectione dignus essem, nihil mihi deesse putarem ad mortalis vitæ felicitatem. Tu, Vir præstantissime, nihil te dignius efficere poteris, quam tanto Principi mea studia commendare. Deum veneror, ut illi, & soboli vitam incolumem, & diuturnam donet, & tibi favores illius adaugeat. Vale, & me tuum cultorem eadem benevolentia prosequere.

Venetiis 8. Junii 1612.

# LETTERE ITALIANE DI PAOLO SARPI

## A SUA ECCELLENZA FRANCESCO PRIULI K.R AMBASCIATORE ALLA MAESTA' CESAREA A PRAGA.

## LETTERA I.

*ILLUSTRISS. ED ECCELL. SIG. COLEND.*

COnoſcendo certo che ſe io tentaſſi di eſprimere quante grazie debbo a V. E. per la memoria, che tiene di me, e per il favore fattomi con la ſua delli 28. Settembre, lo farei imperfettamente, giudico meglio pregarla con queſte poche righe a credere, che reſto obbligato tutto interamente. Credo per certo, che V. E. avrà difficil negoziare in codeſta Corte,

non tanto perchè così sii ordinario, quanto anche per più speciali ragioni, che passano al presente; ma a Lei, che con altri Carichi ha superate difficoltà insuperabili, spero dover riuscire coteste minori, che agli altri. Il Gentiluomo di Germania mio Amico ha visitato più volte l'Illustrissimo Contarini Straordinario per Inghilterra, che forse pensa fare il viaggio per quella Regione, e l'ha soddisfatto molto d'istruzioni. Le dispiace molto, che V. E. non abbia trovato il Principe di Anhalt; egli se ne sta aspettando opportunità di far qualche buona opera, e crede, che in breve possi venir occasione. L'ho pregato dirmi all'occorrenze qualche cosa, che possi servire a V. E.; mi promette, che ricevute le lettere dal suddetto, mi comunicherà la sentenza fatta dal Consiglio di Dieci contra l'Abbate Marcantonio Cornaro (che non le riferisco, credendo, che da altra parte ne sarà appieno avvisata) mi rende qualche sollecitudine, che non cciti qualche controversia con la Corte di Roma, sii nondimeno qual si voglia, sarà approvazione delle ragioni pubbliche, così se taceranno, come se, opponendosi, converrà poi acquietarsi. Le darò due nuove da Roma, e certe. Il fratello di quell'Antonio Sejerli, ch'era quì, è stato ricevuto a Roma per Ambasciadore del Persiano, ed entrò col Turbante, ma in cima di quello un Cristo d'oro; ha impetrato dal Papa una benedizione di Corone, e Medaglie la più ampla, che mai sia stata concessa con una particolare

lare d'Indulgenza Plenaria a chi pregherà Dio per la conservazione del Re di Persia: da che si vede quanto Sua Santità sia dissimile da qualche Pontefice passato, che hanno data Indulgenza a chi offendeva Principi Cristiani loro poco benevoli. Il figlio del Marchese N. N. Vice Re di Sicilia preso, e fatto Turco, come V. E. avrà saputo, era Prete, ed aveva alcuni buoni Beneficj. La Santità Sua ha concesso, che il titolo di quelli gli resti ancora in Capo, e per la sua Apostasia non vachino, ma bene sii privato delli Frutti, li quali restino al Marchese Padre, facendo due grazie singolari, una, che un Apostata rinnegato possi aver titolo di Beneficio Ecclesiastico, l'altra che un Maritato sii Padrone delli Frutti. Molte cose si dicono intorno al negozio di Cleves, che costì si sapranno più certe, che qui. Solo ho per certo, che alla Corte di Francia fossero tre Ambasciadori, uno dell' Elettor di Brandeburgo, l'altro del Palatino di Neuburg, e il terzo degli Stati di Cleves, che negoziano tutti insieme, e sono molto ben veduti, e trattati. A 22. Settembre partì d'Amsterdam il Genero del Bernevold destinato da quegli Stati per Ambasciatore a questa Repubblica, così egli avvisa un suo Amico, ch'è qui, e mi ha comunicata la lettera. Farà la via di Francia, ma a cammino presto. Io piglierò per ordinario di scrivere ogni settimana a V. E. quelle cose, che crederò non esserle scritte da altri. Se le riuscirò molesto, la pregherò incolparne la sicurtà, che ella mi pre-

sta. Per ora finisco, pregando Dio, che doni a V. E. prosperità presente, e perpetua.

Venezia 16. Ottobre 1609.

## LETTERA II.

### ALLO STESSO.

Dovendo io aver rispetto di non riuscire tedioso a V. E. con usare le umili parole di soggezione, che debbo, le tralascierò, così in questa, come nell'altre mie seguenti. Per la passata qual inviai a dirittura per il Corriero non essendo in Venezia l'Illustrissimi di Casa sua, le diedi qualche avviso particolare nel caso dell'Abbate Cornaro; ora le dirò di più, che è arrivato a notizia della Santità del Pontefice il Proclama, al che non ha detto altro, salvo che: il Caso è gravissimo, e crediamo, che quei Signori si valeranno de' Privilegj, che hanno dalla Sede Apostolica con l'assistenza del Patriarca. Per la seguente Posta avremo quello, che sarà stato detto della Sentenza. Ma frattanto alcuni considerano quanto facilmente gli uomini perdono la memoria, quando loro torna utile. Al Pontefice allora quando nel 1605. nacque controversia sopra il giudicar Ecclesiastici, fu risposto per lettere del Senato sotto li 28. Marzo 1606. che la Repubblica ha ricevu-

to da Dio la potestà di giudicare i delinquenti nel suo Stato di qualsivoglia condizione, e contra gli Ecclesiastici Rei di delitti enormi l'ha esercitata sempre senza interruzione, con l'approvazione de' suoi Precessori, li cui Brevi restano. La Corte non può sentir questo, che i Principi possano punir Clerici, se non per concessione del Papa; il che oltre l'essere falso, non può essere di maggiore pregiudizio all'autorità temporale, perchè come non sii da Dio, ma dal Papa, egli la vorrà dichiarare, limitare, restringere, e levare anco se gli parrà; il che anco il presente Pontefice ha tentato di fare, dicendo ne' suoi Monitorj: *per l' abuso siete decaduti ec.*, ed anco nell'occasione presente si vede, che tentano intaccare qualche cosa, perchè (ecco) vorrebbero, che il Processo, e la Sentenza contra l'Abbate fosse fatta con l'assistenza, la quale non si dovrebbe aggiungere con tutto che i loro Brevi fossero del valore, che pretendono, perchè in quelli non ricercano, che il Vicario Patriarcale sii presente, se non all'esame del Reo; del rimanente agli altri atti del Processo, nè alla Sentenza non lo ricercano; ma qui essendo il Reo assente condannato, non è occorso atto di suo esame. Non possono a Roma trattenersi di non allargare per virtù di quei Brevi. Dando loro tutto quell'avvantaggio, che si può dare, non si conclude, se non che gli Avvogadori di Comun col Consiglio di Quaranta, giudicando Ecclesiastici chiamino il Vicario Patriarcale all'esame del Reo; adesso vo-

